NAZIONALE VITT. EMANUELE
71
2 E
37

Digitized by Google

P. C.

Riveritissimo ed amatissimo Padre

Saputi appena i suoi giusti desiderj mi sono fatto un dovere, per quanto era da me, di prestarmi alla onesta loro soddisfazione: il Sig. P. [illegible] ha acconsentito alle mie richieste, solo mi ha fatto notare che avendo noi già due altre copie della versione di Callimaco, sarebbe stato di comune vantaggio il cambiarla con altra opera che non avessimo, tanto più [illegible] latina italiana scientifica e letteraria poco mancherebbe. Io ne ringrazio la sua bontà e [illegible] più (quando [illegible] il campanello per [illegible]) mi sottoscrivo

D. V. R.

Inf.mo in Cristo Servo Obbligatiss.

Antonio Angelini S. J.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

71-2-3

Digitized by Google

Digitized by Google

Al R. P. Manzotti

VII K 30

CALLIMACHI CYRENAEI
HYMNI

LATINIS VERSIBUS EXPRESSI

ET SELECTIS VARIORVM INTERPRETUM
ANIMADVERSIONIBUS ILLUSTRATI

A JOSEPHO PETRUCCIO
INTERAMNATE
ELOQUENTIAE ET LINGUAE GRAECAE PROFESSORE
IN COLLEGIO ROMANO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE MDCCXCV.

EX OFFICINA SALOMONIANA
SUPERIORUM FACULTATE.

Battiades ſemper toto cantabitur orbe.

Ovid. Amor. lib. 1. el. 15.

Digitized by Google

INTERPRES LECTORI.

Poëtam graecum, et eum quidem, qui semper toto cantabitur orbe, ~~latinis versibus expressum~~ exhibeo tibi, graecae latinaeque poëseos studiose lector. Hujus poëtae, qui sub Ptolemaeo Philadelpho eruditissimo illo Aegypti rege, ac de litteris litteratisque hominibus optime merito, poëticae laudis fama in primis floruit, praeter hymnos sex, et nonnulla epigrammata, et pauca quaedam carminum fragmenta, cetera, quae satis multa fuisse constat, poëmata infelici poëseos poëtarumque fato nobis invidit vetustas. Ego animum adjeci ad ejus hymnos latinis versibus interpretandos, eodem, quo ab auctore scripti fuerunt, carminum genere, eademque, quoad ingenii mei tenuitas patiebatur, etiam stili cum venustate, tum granditate servata: quod alterum in metricis aliorum interpretationibus desiderari videbatur. De italicis non loquor, nihil enim de iis me attinet dicere, de latinis loquor, quas Nicodemus Frischlinus, Henricus Stephanus, Floridus Sabinus, et Bonaventura Vulcanius in medium protulerunt; doctissimi illi quidem viri, et litterarum graecanicarum scientissimi, sed ii tamen, quibus ut interpretibus potius, quam ut poëtis utare ad graecum nimirum poëtam intelligendum magis, quam ad eumdem ex graeco latinum factum cum voluptate legendum. Atqui [redacted] Aeschinis et Demosthenis orationes ex graecis latinas faceret M. Tullius, oratorem se quam interpretem videri maluisse scimus. Eadem eorum ratio esse debet, qui graecum poëtam latinis versibus exprimendum sumunt, ut nimirum poëtae magis quam interpretes videantur; auctoris verba non tam adnumerent, quam appendant, eaque ita convertant, ut non modo ipsa latina sint, sed latina etiam sit eorumdem copulatio, neque latina modo, sed etiam poë-

tica. Sed de hoc interpretandi genere, quod optimum et probatissimum esse nemo negaverit, praeter minutulos quosdam interpretes, qui vel unam auctoris sui voculam praeterire religioni habent, ipsos etiam graecarum syllabarum apices, quos accentus seu tenores appellant, latine reddituri, si possent (adeo magnis et necessariis posthabitis de tricis apinisque laborant) ~~; de hoc inquam interpretandi~~ genere plura dicere abstineo, [redacted] de tota hac re luculenter doctissimeque jam disputaverit in elegantissima illa sua Homericae Iliados interpretatione Raymundus Cunichius, proximus in [redacted] Romano Collegio ante me Rhetor. Qui vir et Graecae linguae peritissimus, et carminum latinorum venustate nulli nostri temporis secundus unum ex Callimachi hymnis, eum nempe qui est in lavacra Palladis, et ab Angelo Politiano eleganter redditus antea fuit, latinum fecit, suaeque Graecorum Anthologiae interpretationi adnexum edidit. ~~Quem ego propterea hymnum latine vertere ausus non sum, quod tanti viri~~,

~~Quem longe sequor, et vestigia pronus adoro,~~

~~pulcherrimae interpretationi nedum parem, sed ne proximam quidem esse posse videbam interpretationem meam, quanta illam cumque diligentia exarandam expoliendamque curassem. Itaque satius duxi aliis a me conversis Callimachi hymnis illum adjectum tibi ita exhibere, ut a Cl. viro latine redditus fuit, subjectis etiam pauculis, quibus eumdem illustravit, adnotationibus~~. Habes interpretationis genus, quo ego aut usus, aut me uti debere arbitratus sum, certe ut uterer ea qua potui diligentia et industria adlaboravi; illud nimirum quo auctorem meum non ut servus subsequerer, sed ut socius comitarer, et quae ab eo graece dicta fuerunt adeo sublate atque venuste, eadem ego latine dicerem saltem non humiliter atque ineleganter. Neque tamen libertate abusum me esse putes; nam quod attinet ad sententias, in iis exprimendis nihil arbitrio loci esse credidi, nullam praetermisi, nullam immutavi; ipsas etiam earum formas seu

figuras religiose retinui. Verba vero, quoad potui, ita reddenda curavi, ut si minus formam, genus certe et naturam eorum servarem, eamdemque rem latina haec carmina legenti tibi demonstrarem, quae graecos Callimachi versus legenti in animum influeret. In quo tamen poëticae locutioni, ut par erat, consultum esse volui, ne quae graecis versibus a Callimacho scripta mira quadam animum auresque voluptate demulcent, eadem latinis a me carminibus expressa laederent. Quare quaecumque ex latinis poëtis, ex Virgilio praesertim, cujus ego purissimis locutionibus suavissimoque carminum concentu mirifice delector (quis vero non delectetur?) in interpretationem hanc meam derivanda mihi sese sponte offerebant, avidissime arripui; nec dubitavi ἡμιστιχια inde desumpta Callimachi sententiis exprimendis tunc maxime accommodare, ~~tum~~ aut Virgilius, aut alius aliquis aurei illius aevi poëta locum aliquem Callimachi imitatus esse videretur.

T quum

De ~~inter~~pretatione satis, pauca jam de animadversionibus, quas interpretationi subjeci ~~primum scias velim, non eas me viris doctis scripsisse, quibus multiplex et librorum et eruditionis supellex. Auditoribus meis morem gessi, qui, cum nonnulla hujus interpretationis carmina, ut praeceptorum mos est, identidem iis recitarem, enixe a me postularunt, ut quae ipsi per sese, utpote qui in graeca latinaque poësi licet non peregrini atque hospites, tirones tamen, intelligere satis non valerent, adjectis necessariis explicationibus planiora facere vellem. Taedebat me quidem laboris improbi, quippe immensa propemodum variorum interpretum commentaria evolvenda erant, atque ex ingenti eorum silva quae ad obscuriora poëtae loca illustranda necessaria esse arbitrarer excerpenda, reliqua omittenda. Illud etiam accedebat, quod nulla ex hoc labore profectura esset mihi laus apud viros doctos, qui hujusmodi adnotationes, nisi si quid novi proferunt, merito fastidiunt ac respuunt. Sed laborem hunc me diu detrectantem, ani~~

I Nolim tamen, erudite lector, has me adnotationes viris doctis scripsisse, quibus multiplex ipsis sit et librorum et eruditionis supellex, eas, nisi si quid novi afferant, jure merito fastidiunt ac respuunt. Adolescentibus scripsi in graeca latinaque poesi licet non peregrinis atque hospitibus, tironibus tamen, ut iis, quae ipsi per sese intelligere satis non valerent, adjectis necessariis explicationibus planiora facerem.

~~nique pendentem vicerunt tandem egregiae indolis meique amantissimi adolescentes, quorum gratia hoc quantum et qualecumque interpretationi adjunctum opus suscepi, ut qui mihi ad latinam et graecam poësim informandi traditi sunt, graeco optimae notae poëta facilius intellecto, factaque inter eundem jam graecum jam latinum comparatione, ad eamque excolendam vehementius accenderentur. In his autem animadversionibus exarandis usus cum editione,~~ quae Lugduni Batavorum anno MDCCLXI. in lucem prodiit ex recensione Jo. Augusti Ernesti ~~, eamque~~ praesertim ex plenissimis doctissimisque commentariis Ezechielis Spanhemii concinnavi, praeter argumenta hymnorum, quae ex Nicodemo Frischlino, et adnotationes nonnullas, quas ex aliis interpretibus identidem desumpsi, sicubi necessariae visae sunt ad difficiliora quaedam Callimachi loca explicanda, quae Spanhemius vel praeterit, vel ita exponit, ut minus quam alii persuadere videatur: nam pauculas illas, quas ipse de meo adjeci, eas pro nihilo per me habeas licet. ~~De~~ latina interpretatione tantum judicium tuum esto; quae si tibi non omnino displicuerit, amplissimum ex hisce meis laboribus vigiliisque fructum me cepisse existimabo~~, alacriorque ad alium aliquem ex graecis poëtis interpretandum accedam: sin vero probata non omnino fuerit, non idcirco animum despondebo meum; sed illud enixe curabo, ut in quo peccatum a me sit (neque vero peccatum saepius non erit) diligentius investigans, haec ipsa aliquando, aut alia emendatiora exhibere tibi possim.~~

I Usus editione, +, ea

Nolim tamen ut supra. Ceterum de latina

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. X. Passeri Archiep. Lariss. ac Vicesgerens.

APPROBATIONES.

Qui haec legerit Callimachi carmina latinis numeris expressa, et idoneis adnotationibus illustrata, interpretem doctissimum Josephum Petruccium optime de litteris meruisse facile mecum consentiet. Quapropter etc.

M. F. Gagliuffius Sch. Piar.

Elegantissima latina carmina quibus Cl. vir Joseph Petruccius Eloquentiae et linguae Graecae in Collegio Romano Professor Callimachi hymnos mirifice expressit, ea sunt suavitate ac numerorum artificio conscripta, ut poëtam suum plane fuerit assequutus, et Graecorum fontium, ut verbis utar Horatii, haustus non expalluerit. Ad hoc, selectae adnotationes quibus Callimachum illustravit, doctrinam singularem et eruditionem praeseferunt tum ingenuae juventuti et Graecae linguae cultoribus utilem, tum ad penitiores Callimachi sensus interpretandos apprime idoneam. Itaque, si modo annuerit Reverendissimus Pater Dominicus Baccius O. P. Rmi P. M. S. P. A. Socius, latinam Callimachi interpretationem in lucem edendam esse puto, quum nihil in ea invenerim, quod aut Religioni aut bonis moribus adversetur.

Romae die 17. Mensis Julii 1795.

Aloysius Godard Arcadiae Custos.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Baccius O. P. Rmi P. M. S. P. A. Socius.

Ω μακαρ αμβροσιησι συνεστιε φιλτατε Μȣσαις
Χαιρε, και ειν αΐδεω δωμασι Καλλιμαχε.

Antholog. lib. III. cap. 25. Αδηλου.

HYMNUS IN JOVEM.

ARGUMENTUM

Sumpta occasione a sacris, quae festo die in honorem Jovis peragebantur, γενέθλια ipsius hoc hymno primum et patriam et educationem prosequitur Callimachus; deinde ejus res gestas virtutesque celebrat, quibus caeleste Regnum adeptus est: denique, quae propria ejus est, regnorum curam et administrationem: quo in loco Ptolemaeo Philadelpho Aegypti Regi, aut ejus filio Evergeti (quem in sequenti hymno in Apollinem a Callimacho designari notat Graecus interpres) poëtarum ritu blanditur.

Sollemnes dum rite Jovi ♀ ~~[illegible]~~,
Quid potius nobis quam Juppiter ipse canendum,
Aeterno qui terrigenas lateque potenti
Imperio regit, et caelesti praesidet aulae?
Dictaeum † tamen huncne canam, dicamne Lycaeum,
Mens haeret; discors namque est sententia vatum.
Juppiter, Idaeis alii te montibus ortum,

♀ libatur ad aras,

3 ...*qui terrigenas &c.* Πηλογόνων ἐλατῆρα, alii interpretes explicant, terrigenûm expulsorem, hoc est Gigantum, quos e terra genitos passim poëtae fabulantur: malui tamen cum Salvinio interpretari, hominum rectorem; neque negarim ex hoc Callimachi loco colligi posse, quamdam etiam veteres habuisse notitiam de vera primi hominum parentis origine, *quem formavit .. Dominus Deus...de limo terrae*(Gen. II. 7.). Πηλὸς enim non simpliciter terram, ἀλλὰ τὴν βεβρεγμένην γῆν, hoc est limum significat.

5 *Dictaeum tamen &c.* † De Jovis patria semper certatum est inter veteres, praesertim inter Arcades, et Cretenses, qui civem eum et alumnum sibi utrique vindicabant. Callimachus Cretensium vanitatem irridet, qui mendacium mendacio cumulantes non solum apud se natum Jovem, sed et sepultum esse gloriabantur.

7 *Juppiter, Idaeis &c.* Ida duplex, in Creta, et in Purygia: hic de Ida

† Dictaeum, id est Cretensem, Lycaeum nempe Arcadem: Dicte enim Cretae, Lycaeum Arcadiae mons est.

Arcadicis alii memorant: mendacia jactant
Utri vana, Pater? mendax est Creta; sepulcrum
Nam tibi, Rex, posuit, nullo licet occidis aevo.
Ast in Parrhasio peperit te Rhea, comantum
Qua parte ingentes nemorum mons porrigit umbras.
Hinc sacer est locus ille; adit illum nulla ferarum,
Indiga Lucinae mulier non ulla: cubile
Et Rheae antiquum parientis nomine dicunt

Cretae monte loquitur poëta. Idam in Phrygia ab Ida Cretensi nomen accepisse auctor est Virgil. Aeneid. lib. III. v. 112.

9 ... *mendax est Creta &c.* Proverbii loco jactabantur olim haec verba: Κρητες αει ψευσται, sive ex hoc Callimachi loco, sive ex Epimenidis versu petita: Κρητες αει ψευσται, κακα θηρια, γαστερες αργαι, quem et Divus Paulus citat Ep. ad Tit. cap. I.

Ibid. ...*sepulcrum nam tibi &c.* Narrat Graecus Callimachi interpres, in Creta fuisse Minois sepulcrum cum hac inscriptione: Μινως τε Διος ταφος: Minois Jovis (filii) sepulcrum: cum temporis vetustas, primam vocem Μινωος obliterasset, et reliquis pepercisset, idcirco Cretenses dicere apud se esse sepulcrum Jovis; aut quod Corybantes, ut Jovem Saturno occultarent, eidem sepulcrum posuerint.

11 *Ast in Parrhasio &c.* ... Εν Παρρασιῃ legit Arnaldus Animadv. cap. 10. alii Εν Παῤῥασιῃ. Arnaldi lectionem videtur confirmare Graecus interpres, cujus haec nota: *Mons Arcadiae Parrhasium, a Parrhaso Lycaonis filio.* Ceterum Arcadia etiam dicta est Parrhasia. Qui vero legunt εν Παῤῥασιῃ ajunt Jovem natum esse in Parrhasia, hoc est in Arcadia in ea montis Lycaei parte, quae maxime nemorum arboribus obtegebatur. Rhea, eadem quae Cybele, et latine Ops, filia Caeli, et Terrae, uxor Saturni, magna Deûm mater. Prima hoc loco producitur; scribit enim Callimachus 'Ρειη; licet paullo infra scribat etiam 'Ρεη.

13 ... *adit illum nulla ferarum &c.* Callimachus: ουδε τι ἑρπετον quod interpretes vertunt, nullum reptile: proprie quidem ἑρπετα sunt αποδα reptilia, sed hic per catachresin dicuntur omnia animalia; et Callimachi sensus est, nullum in illo loco, ubi Juppiter natus est, animal, nullam mulierem parere.

14 *Indiga Lucinae mulier non ulla &c.* γυνη κεχρημενη Ειλειθυιης: periphrasis mulieris parturientis. Porro quae Graecis Ilithyia, Latinis Diana, Juno Lucina, quae parientibus adsistere putabatur, ut fetus facile in lucem ederent: Horat. in carm. saecul. v. 14. *Lenis Ilithyia, tuere matres, sive tu Lucina probas vocari &c.* Graecam vocem ducunt ab ελευθω, venio, quod Diana invocata veniat in subsidium parientium.

Ibid. ...*cubile et Rheae antiquum &c.* ωγυγιον: haec vox pro *veteri* usurpatur ab antiquis poëtis: sic Thebae ωγυγιαι apud Aeschyl. Pers. v. 37. ωγυγιος μυθος apud Nicand. Ther. etc.

L Stephano tamen magis placet lectio ex Scholiaste adscripta margini ωγυγιοι, atque hanc vocem ad Apidanes referre, qui veteres erant Arcadiae populi, cum credibile sit hunc locum dictum fuisse λεχωϊον Ρειης simpliciter et sine ulla adjectione: quae si tibi etiam sententia arridet, ita lege v. 15. Et Rheae veteres ...

Apidanes. Hic te magna postquam edidit alvo
Alma Parens, rigui quaerebat fluminis undas,
Prolis ubi ablueret sordes, et tergeret artus,
Dive, tuos: nondum pleno sed gurgite Ladon
Profluere, aut vitreas Erymanthus volvere lymphas.
Ast late Arcadiae tellus arebat, aquarum
Mox dives dicenda tamen: nam Diva resolvit
Cum zonam paritura, exeso robore quercus
Desuper irriguus tunc ~~[illegible]~~ Iaon: extollebat
Multa Melas tergo volventia plaustra ferebat,
Multa ferae circum fodere cubilia ripas,
Carion tumidis praeter quas labitur undis:
Atque sitim frustra cupiens explere viator
Calcabat Crathinque salebros[illegible]mque Metopen; Ia
Sub pedibus tamen undarum vis magna latebat.
Tum Dea Tellurem sic in discrimine tanto
Alloquitur: dilecta paris quin tu quoque Tellus?
Nam facilis partus labor est tibi: dixit, et alte

---

16 *Apidanes*. Arcades, qui dicti etiam Απιδανηες ab Apide Phoronei filia, unde etiam Arcadia Apia dicta est, ut notat Eustathius in Dionysio de situ orbis. Alii citante eodem Eustathio, Απιοι, et Απιδανεες dici volunt απο του μη πιειν, ut δια την αζην Arcadia dicta est Αζανις et gens ipsa Αζανες, nimirum a regionis illius siccitate, de qua paullo infra Callimachus in hoc hymno.

19 ...*nondum pleno sed gurgite Ladon &c.* Arcadiam ante Jovis ortum siccam, amnibusque destitutam fuisse, ac postea demum nato Jove fluvios in ea promanasse, ut Jovis laudes amplificet, hoc loco fabulatur Callimachus. Praecipua nominat Arcadiae flumina, Ladonem, Erymanthum, Iaonem, Melanem, Carionem, Crathin, Metopen, et Neden, quorum meminit etiam Dionysius de situ orbis in descriptione Arcadiae.

22 ... *nam Diva resolvit &c.* Observandus in his verbis antiquus mos. Cinctae erant zona Virgines, quam novus maritus solvebat: unde Arnobius lib. III. *Virginalia vincula jam ferventes dissolverent, atque imminentes mariti &c.* Zona cingebantur etiam mulieres, quam solvebant cum primum pariturae essent; cujus moris et in hoc Callimachi loco testimonium satis luculentum habemus, et apud Martial. Apophoret. CXLIX.

Longa satis nunc sum, dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam tum tibi zona brevis.

Attollens dextram sceptro latera ardua montis
Impulit ; impulsu quo se diffindit in ambas
Mons partes , magnamque sinu vim fundit aquai :
Hic artus , Rex , Diva tuos in gurgite lavit ,
Teque Nedae obtectum pannis (quae maxima natu
Nympharum , posset quibus illa altricibus uti ,
Post Styga erat Philyrenque) dedit Cretense ferendum
In nemus , ut furtim semoto alereris in antro .
Illi autem meritas tanto pro munere grates
Diva refert ; fluviumque Nedae de nomine dicit ,
Cauconum qui Leprium praeterfluit urbem
Dives aquae in mare prorumpens : non Arcadis ursae
Ulla magis potant antiqua fluenta nepotes .
Nympha Thenis igitur dum transfert , Dive , relictis

---

38 *Teque Nedae &c.* Nomen Nymphae Oceaninae , quae Jovem infantem nutriit . *Stygem* omnium Nympharum Oceaninarum natu maximam tradit etiam Hesiod. in Theog. *Philyra* et ipsa Oceani filia , cum qua concumbens Saturnus , adveniente Ope conjuge in equum se convertit , et aufugit (Virg.Geor. III. v. 550.) : ex eo concubitu Chiron Centaurus natus est , qui propterea Philyrides appellatur , et metri gratia Phillyrides . Proper. lib. III. el. I. v. 61. Ovid. lib. I. de art. aman. v. II.

40 ... *dedit Cretense ferendum &c.* Dissentientes Arcadum et Cretensium de patria Jovis opiniones ità componit Callimachus , ut Jovem in Arcadia quidem natum , sed in Creta educatum dicat .

43 . . *fluviumque Nedae de nomine &c.* Huic fluvio ab Neda Nympha nomen datum fuisse a Rhea testatur etiam Pausan. in Arcad. *Caucones* vetustissimi Triphyliae (quae est Arcadiae regio) inquilini , de quibus Strabo lib. VIII. Cosmogr. *Leprium* λεπρειον , seu λεπριον , seu λεπρεον legendum sit , fuit oppidum Cauconum , cujus meminit Herodot. lib. IV. et Aristophan. in Avib. ; item Strabo lib. VIII. etc.

45 ...*non Arcadis ursae &c.* Notatio Callistus matris Arcadis , a quo rege quae regio prius Pelasgia , Arcadia postmodum dicta est . Fuit autem Callisto Lycaonis Regis filia , quam a Jove vitiatam Juno irata in ursam convertit , Diana sagittis confixit : Juppiter exempto quem in utero gestabat Arcade , inter sidera retulit , quae ursa major (ἄρκτος a Graecis) dicitur . Ovid. II. Metam. et II. Fast. Porro Callimachi sensus est , hunc fluvium Nedam esse antiquissimum Arcadiae fluviorum .

47 *Nympha Thenis igitur &c. Thenae* seu Thennae oppidum Cretae proximum Cnosso , inquit Steph. de Urbibus . Idem cum Callimacho consentiens ait , *Omphalium* esse agrum

Te Cnossum (Cnosso urbs colitur vicina Thenarum),
Quo prius haerebas utero, tibi nervus ab alvo
Decidit: Omphalium unde locum dixere Cydones:
Dictaeae hic comites Corybantum protinus ulnis
Te Meliae excipiunt; aureis tibi sedula cunis
Imposito blandum facit Adrastea soporem;
Uber Amaltheae nutrit te pingue capellae,

Cretae proximum Thenis et Cnosso. Cum poëta nostro consentit etiam Diodor. Sicul. lib. vI. c. 15. ubi inquit: *Cum a Curetibus ferretur infans* (Juppiter), *tradunt Omphalum* (umbilicum) *juxta fluvium Tritonem cessisse* (illi decidisse), *ex quo ora illa Deo sacra Omphalia cognominatur, et propinquus ager Omphalius*. De *Cnosso* Cretae urbe apud Idam montem, in qua olim Minois regia fuit, vide Strab. lib. x. et Plin. lib. Iv. c. 12. *Cydones*, Cretenses ita dicti a Cydone urbe Cretae amplissima, unde poma, et spicula Cydonia, testibus Strabone et Plinio.

51 *Dictaeae hic comites Corybantum &c. Meliae* sunt arborum Nymphae, easque appellat poëta noster socias Corybantum, quod in silvestribus degunt locis, non secus ac ipsi Corybantes. Dicuntur Meliae a Melia quadam Oceani filia, ut eruditi Critici observant ad Apollon. Rhod. lib. II. v. 4. ubi legitur Βιθυνις Μελιη: nisi mavis cum Eustathio cognomines esse arboris, qua delectantur, hoc est fraxini, quae Graecis Μελια est. *Corybantes* iidem qui *Curetes*. Varias de nominis etymo opiniones vide apud Etymologicos: fortasse ita dicti απο τυ βαινειν, quod est etiam φυλασσειν (custodire), quod hi δαιμονες περι την Ῥεαν Jovem parvulum custodierint, et ne vagitu se proderet (Saturnus enim cum Titano fratre convenerat, ut sobolem omnem masculam interficeret) clypeolis aeneis inter se concursantes, tinnitu aeris illisi celaverint vocem infantis.

52 ... *aureis tibi sedula cunis &c.* Callimachus Λικνῳ ενι χρυσειῳ, in aureo ventilabro. Veteres in ventilabris cunarum vice reponebant pueros ominis boni caussa, ut illis nimirum divitias et fruges terrae augurarentur. Viri autem militares in clypeo deponebantur, cum voto nimirum ut strenui et fortes evaderent. Qua de re vide Theocrit. Idyll. 24. ubi Alcmene Parens gemellos suos Herculem et Iphiclum χαλκειον κατεθηκεν επ' ασπιδα. *Adrastea*, soror Curetum, ut inquit Graecus interpres.

54 *Uber Amaltheae &c.* Nota fabula de Nymphae Amaltheae capra, quae ubera Jovi infanti praebuit. Vide Ovid. V. Fast. Germanicus in Arateis.

... Illa putatur
Nutrix esse Jovis; si vere Juppiter infans
Ubera Cretaeae mulsit fidissima caprae;
Sidere quae claro gratum testatur alumnum.

Hanc capellam postea mortuam inter sidera relatam ferunt; ac Jovem ejus corio pro scuto usum in pugna adver-

Ipsi te vero circum saltasse sub armis

Mellaque apis celsa Panacris tibi fingit in Ida.
~~Bellica te vero plausisse tripudia circum~~
Curetes, clypeosque manu pulsasse feruntur,
Vagitus ne forte tuos audiret, acutis
Saturnus tantum advertens tinnitibus aures.
  Interea primis solito vis firmior annis
Accedit, vernatque cita lanugine vultus.
Aetas parva quidem, sed mens animusque virilis:
Nec Fratres natu licet invidere minori,
Quod regnanda tibi domus alti cessit Olympi.
Nam temere prisci memorant tria regna poëtae

sus Titanes. Observat Spanhemius Jovem dictum esse αιγιοχον non ab Aegide, ut volunt alii, quos male sequuntur latini Homeri interpretes, sed παρα την εξ αιγος οχην; οχη enim est τροφη cibus.

55 *Mellaque apis &c.* Etiam Virgilius ait apes *Dictaeo Caeli regem pavisse sub antro*, Georg. IV. Callimachus inquit apem Panacridem finxisse Jovi mel in montibus Idaeis, quos κλειτοι Πανακρα, quibus verbis ostendit, quare apem in praecedente versu Panacridem vocaverit: quam sententiam etsi pressius, satis tamen mihi assecutus esse videor. Stephanus autem existimat Πανακρα ορη dicta a summa altitudine, ut παν hoc in nomine sit augentis, sicut in aliis, quibus praefigitur.

56 [Ipsi te vero] *~~Bellica te vero~~ &c.* πρυλιν ωρχησαντο, *pyrrhicham saltarunt.* Πρυλις Cypriorum lingua saltatio in armis dicebatur, quae etiam πυῤῥιχη. Plin. lib. VII. c. 57. a Pyrrho Achillis filio inventam fuisse dicit: distinguit tamen saltationem armatam a pyrrhiche, primae inventionem Curetibus attribuens, alterius Pyrrho; non quasi plane diversa esset, sed qua rudior illa a Curetibus, artificiosior haec a Pyrrho, vel potius Pyrrhicho Cretense, ut aliis placet. Alii ita distinguunt, ut pyrrhicha fuerit equitum, cui non dissimilis Romanorum ludus, qui Troja dicebatur, ab Ascanio in Italiam invectus, de quo Virg. lib. V. Aeneid., saltatio armata peditum, qualis fortasse illa fuit, quam Festus *bellicrepam saltationem* appellat, narratque a Romulo institutam, ne simile quid pateretur ac fecerat ipse, cum a ludis Virgines Sabinorum rapuit. +

58 *Vagitus ne forte tuos &c.* Vide notam ad v. 51. Integrum versum, qui in Callimachi hymno est 55. omisi, quem spurium putant viri doctissimi Ruhnkenius, et Lennepius; nec sane desideraretur si abesset, aut sententiae aliquid deesse videretur.

65 *Nam temere prisci &c.* Vetus haec et communis poëtarum fuit opinio, regnum universi orbis post expulsum Saturnum inter tres fratres sorte divisum; ut Jovi quidem caelum, Neptuno maria et insulae, Plutoni inferi obtigerint. Hinc Virg. Aeneid. I.

Saturno data sorte satis : quis enim nisi mentis
Expers et Caelum sorti et committeret Orcum ?
In paribus sortem nam fas est ducere rebus ;
Hae distant immane ; equidem minus absona veris
Verba loquar , siquidem libeat rude fallere vulgus .
Non tibi sidereae sceptrum sors obtulit aulae ,
Sed diae benefacta manus , tuaque inclyta Virtus ,
Quam prope te magna sublimem in sede locasti .
  Tu tenues nobis tua jussa ferenda per auras
Ominaque alituum reginae credis , amicis
Esse meis quae fausta precor . tibi seligis omni
E juvenum numero nulli virtute secundos ;
Externis non qui repetunt compendia terris
Nautas , scutatosque viros , vatesque canoros ;

Non illi imperium pelagi sacrumque tridentem ,
Sed mihi sorte datum .

Hunc opinioni Callimachus adversatur , indignam putans Jovis majestate ; ac proinde non sortium beneficio , sed virtute regnum caeleste fratribus suis non invitis obtinuisse affirmat .

69 ...*equidem minus absona veris &c.* Callimachi versus ad verbum interpretatus ita redditur ab Ernesto : *Mentiar , quae audientis utique auribus probentur* , quasi dicat , siquidem mentiri vellem , mentirer ea , quae probabilia essent , et persuaderi possent auditori , non haec adeo absurda , et a communi sensu abhorrentia . Ita etiam exponit Stephanus , ita et ego poëtae sententiam reddere conatus sum . Alii vero , inter quos Graevius , et Gronovius : *Mentirerne ego ea quae placent auribus ?* Quae interpretatio si magis arridet , ita Callimachi sententia reddi facile posset :

. . . . probet mendacia vulgus
Illa licet , nostris absint mendacia verbis .

75 . . . *alituum reginae credis &c.* aquilae , quam avium longe maximam vocat hic poëta noster , ego reginam Horatium imitatus lib. IV. Od. 4.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui Rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit .

76 . . . . *tibi seligis omni e juvenum numero &c.* Regna et imperia divinitus constituta , et magistratus a Deo rerum gubernaculis praefectos esse sapienter et pie docet Callimachus . Locus observatione dignus nostris praesertim hisce temporibus . Reges a Jove electos juvenes hoc loco appellat Callimachus, αἰζηοὺς : sic etiam ab Hesiodo hominem quadragenarium αἰζηὸν vocari observat A. Fabri .

Hos etenim Divûm curam sinis esse minorum,
Nempe alios linquens aliis: tu sceptra tenentes
Eligis, agricolae quorum, nautaeque ducesque
Imperio parent; nam quae non subdita Regi?
Hinc primo qui mane opera ad fabrilia surgunt,
Hos sibi Vulcanus, miscent qui praelia Mavors
Vindicat, assuetos silvis caedique ferinae
Latois, Phoebusque chelys quibus aurea cordi.
Cura Jovis Reges: nihil his divinius usquam est:
Haec tibi pars, haec sors; mandas his, Juppiter, urbes
Ut servent populosque regant; tuque arcibus altis
Ipse sedens spectas, aequis num regna gubernent
Legibus, injustone premant moderamine gentes.
  Regum etiam sat opum, fortunarumque tuorum
Adjicis imperio, quamvis non omnibus aeque;
Noster enim Reges opibus Rex anteït omnes.
Ille quidem quas mane agitat res, vespere magnas
Exequitur, parvas simul et molitur et explet.

---

80 *Hos etenim Divûm &c.* In hoc et seqq. versibus summum Jovis imperium amplificat poëta comparatione facta cum ceterisDiis, quorum majestatem in privatos homines, et Regibus subjectos, Jovis autem in ipsos Reges se extendere demonstrat.

89 *Haec tibi pars, haec sors &c.* Sensus est: Reges delegisti tibi pro sorte, tuam sortem et partem esse voluisti, ut fabros Vulcani, Musicos Apollinis etc.

91 *Ipse sedens spectas &c.* Superiora illa, ut subditi reges et principes suos colant, et metuant, hoc vero dicit poëta, ut et ipsi Reges Deum timeant ac revereantur; est enim Deus επόψιος, inspector rerum humanarum, et si

Regum timendorum in proprios greges,

etiam

Reges in ipsos imperium est Jovis.
Horat. Od. 1. lib. III.

93 *Regum etiam sat opum &c.* Juppiter, inquit, dona sua, divitias et opes et sapientiam non ex aequo omnibus Regibus largitur. Quod exemplo Regis Ptolemaei declarat, qui non modo regni Aegyptiaci amplitudine et ubertate, sed etiam ingenii et sapientiae laudibus excelluit. Ejusdem potentiam Theoc. Idyll. 17. extollit.

96 *Ille quidem &c.* Hujus loci lectio in varias partes traxit viros doctos, quos vide si lubet. Certantes tamen de verbis in sententia exponenda consentiunt, et Ptolemaei in rebus conficiendis celeritatem a Callimacho expressam volunt.

~~Quaedam aliis uno, quaedam labentibus annis~~
~~Vix multis explere datum~~; quin grandia facta
Ipse vetas alios audere, ausove potiri.
Supreme o salve Saturni Nate, salutis
Fortunaeque dator dextrae: tua facta referre
Qui possit, non est, nec erit: quis enim Jovis unquam
Facta canat? Salve o Pater, et virtutis opumque
Munera da nobis: nec enim cuiquam esse beato
Aut opibus vacuo licet, aut virtutis egeno.

9 P Ast anno vix uno aliis
vix pluribus annis
Res aliis explere datum;

L Ast anno vix uno

98 ~~*Quaedam aliis uno*~~ *&c.* Potentiae Regis Aegyptiaci opponit per ἀντιθετῳ aliorum imbecillitatem, qui vix uno aut pluribus annis consequuntur, quae uno die Ptolemaeus, si magna, temporis momento, si parva essent, perficiebat: quin immo aliorum tantam esse infirmitatem dicit, ut omnibus exuti viribus prorsum nihil assequi valeant.

101 *Supreme o salve &c.* Epilogus salutatione constat, qua Jovem compellans ipsius bonitatem praedicat, tantamque esse dicit, ut nullo praeconio digne celebrari possit.

105 ... *nec enim cuiquam esse beato &c.* Elegantissima est γνώμη, qua docet ad veram absolutamque felicitatem acquirendam non modo virtutem, sed etiam divitias cum virtute conjunctas pertinere. Divitias enim sine virtute recte cum Horatio (Od. I. lib. III.) dixeris *operosiores*: contra

Haud facile emergunt quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.
Juvenal. Sat. III. v. 164.

HYMNUS IN APOLLINEM.

ARGUMENTUM

Apollinis laudes in sollemni Καρνειων *apud Cyrenaeos festo celebraturus Poëta, remotis a sacrorum communione profanis et impiis hominibus, pueros hortatur, ut hymnos in honorem Apollinis alacriter canant, adstantes vero, ut religiose eos audiant. Atque ut pueri promptiores ad Apollinis laudationem accedant, non utile tantum esse docet eum celebrare, sed etiam facillimum, cum nihil in Apolline sit quod laudi materiam non praebeat. Quibus praemissis laudes ipse Apollinis aggreditur, commendans eum a multiplici rerum et artium cognitione, atque a rebus praeclare gestis, ob quas varia apud diversas gentes cognomina consecutus est. Hinc sumpta occasione a cognomine* Carnei, *quo a Lacedaemoniis et Cyrenaeis vocabatur, Cyrenarum, patriae suae originem exponit. Postremo maledico cuidam, a quo propter carminum brevitatem notatus fuerat, scite sapienterque respondet.*

Ut Phoebi laurus tremit haec! ut tota moventur
Sacrae tecta domus! procul hinc, procul omnis abesto,
Quisque malus. certe pulcro pede pulsat Apollo
Limina. nonne vides, ut Delia palma repente

1 *Ut Phoebi laurus &c.* Ita etiam Virgil. Aeneid. III.

> *. . . tremere omnia visa repente*
> *Liminaque laurusque Dei; totusque moveri*
> *Mons circum &c.*

2 *. . . procul hinc, procul omnis abesto &c.* Hinc illud Virgilii . . *procul hinc, procul este profani,* Aeneid. VI., et Horatii, *Odi profanum vulgus et arceo*. Od. I. lib. III. Sollemnis hic fuit mos apud Veteres, ut a sacris Deorum removerentur non solum αμυητοι, non initiati sacris arcanis, sed etiam αλιτροι, facinorosi: hinc Stat. Silv. l. III. carm. III. v. 13. *procul hinc, procul ite nocentes*.

4 .. *nonne vides ut Delia palma &c.*

Nescio quid laetum jam nutat, et aëra tranat
Dulce can[illegible] cycnus? foribus vos cedite claustra,
Cedite vos ultro vectes: Deus ecce propinquat.
Vos pueri choreasque Deo cantusque parate:
Spectandum sese Phoebus non omnibus offert;
Ille patet castis: licuit cui cernere Numen,
Magnus erit, cui non, ~~projecta vilior alga~~.
Nos te cernemus, viles nec habebimur unquam
Phoebe potens. vester sileat ne barbitos, aut pes
Haereat, o pueri, Phoebo adventante; potiri
Si vultis modo connubiis, et radere canos,
Et patrios longum incolumes servare Penates.
Sed pueros laetor praecepta facessere; coepit
Jam resonare chelys: vos, cetera turba, silete,
Et Phoebi faciles advertite laudibus aures.
Ipse tacet pontus, vates cum Numinis arma

Praeter laurum, quod nemini notum non est, etiam palma Delia, seu Apollini sacra dicebatur, quod Latona humeris ad palmam reclinatis Apollinem in Delo insula pepererit, ut videre est in hymno in Delum. Ut autem inter arbores laurus et palma, ita inter aves cycnus Phoebo sacer. Caussam affert Cicero Tusculan. I. *quod ab eo divinationem habere videatur, qua providens quid in morte bonum sit, cum cantu et voluptate moritur*.

6 ... *foribus vos cedite claustra &c.* Ultro Apollinis templi fores aperiri solitas fuisse ostendit etiam Virgiliana illa hujus loci imitatio Aeneid. VI.

Ostia jamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua.

14 ... *potiri si vultis modo connubiis &c.* Pueris qui pietatem suam erga Apollinem et canendo et saltando ostenderint, tria non vulgaria bona promittit poëta, felices nuptias, felicem senectutem, et diutinam domorum suarum incolumitatem.

16 *Et patrios longum incolumes &c.* Ἑστηξειν δε το τειχος επ' αρχαιοισι θεμεθλοις, *si velint* nimirum *stare muros suos super antiquis fundamentis*. Intelligit igitur, si velint urbem suam, vel domum (potest enim τειχος de muro domus intelligi) salvam diu et incolumem manere.

18 ... *vos, cetera turba, silete &c.* A pueris, quos canere et saltare jussit, ad auditores transit, a quibus attentionem requirit. Ευφημειτ' αιοντες, in sacris idem est ac Horatianum illud, *favete linguis*.

20 *Ipse tacet pontus &c.* Carminum Apollinis laudes sustollentium dignitatem υπερβολικως exprimit poëta, ostendens res etiam sensu carentes, cujusmodi sunt aquae et lapides, hujusmodi carminibus excitari et moveri.

Delphitici extollunt citharamque arcumque sonantem.
Nec miseranda parens lacrymis Thetis urget Achillem,
Cum laetum vates audit paeana canentes.
Ipsum etiam lacrymis parcit, parcitque dolori,
Quod riget in Phrygia, Niobemque ostendit hiantem
Marmor. io, bis io clamate: obsistere Divis
Namque nefas: Divis quicumque obnitier audet,
Illum crediderim nostro contendere Regi
Posse, reluctantem Regi contendere Phoebo.
  Nec, blandae siquidem Phoebum modulamine vocis
Mulceat, hic Phoebo chorus haud donatus abibit.
Quid non ille potest? solio subnixus eodem,
Et dextrae admotus magni sedet ille Parentis.
Quin chorus iste diem non Phoebum Thalia scilicet una

---

21 Delphitici &c. Λυκωρεος. Apollo *Lycoreus* a Lycorea vico juxta Delphos, cujus meminit Strabo lib. IX. et Stephanus περι πολεων. Hodie *Liacura* dicitur a Graecis incolis. Hic accipiendus pro Δελφικε, ut explicat Scholiastes.

23 ... *paeana canentes &c. Paean* dictus est ipse Apollo a παιω, vel qua ferire significat, quia sagittis Pythonem confecit, vel qua curare, mederi, quia medicinae inventor habebatur. Item est, ut in hoc loco, hymnus in honorem Apollinis. Aliquando etiam hymnus in honorem aliorum Deorum, et praesertim in victoria cani solitus. Hinc apud Virgil. Aeneid. X.

Conclamant socii laetum paeana sequuti.

25 *Quod riget in Phrygia &c.* Notissima est fabula Niobis Amphionis Thebani uxoris, quae visa filiorum morte in Sipylum Phrygiae oppidum, seu, ut alii volunt Mygdoniae montem secessit, ubi prae dolore in saxum diriguisse credita est. Pausan. in Atticis, *Ego*, inquit, *Nioben ut viderem in Sypilum montem ascendi. Silex et praerupta crepido imminet, quae prope assistenti neque mulieris neque lugentis formam ostentat: qui vero procul aspexerit, mulierem lacrymantem et moerentem sibi intueri videtur.* Hunc Callimachi locum imitatus est Propert. lib. III. eleg. 8.

Et Niobes lacrymas supprimat ipse lapis.

27 ... *Divis quicumque obnitier audet &c.* Praeclarum Ptolemaei (Evergetis, ut hic notant scholia) elogium adornat poëta: ejusdem nempe vesaniae esse inquit cum Rege Ptolemaeo, ac cum Diis ipsis pugnare velle et contendere. Notum est Aegyptiorum Reges pro Diis haberi se et coli a suis voluisse. Hic vero alia etiam de caussa a poëtis colebatur, quod nempe esset φιλολογος, ut inquit Graecus interpres, seu litterarum et omnis eruditionis studiosus.

34 *Quin chorus iste &c.* Cum Phoe-

Concinet, omnigeno laudandum carmine Phoebum.
Amplior haud etenim, nec planior ulla canendi
Materies. auro nam Phoebo palla refulget,
Fibulaque et pharetra, et testudo et Lyctius arcus;
Ipsae etiam leves ocreae: vis suppetat olli
Quanta auri, quot opes, testatur Delphica Pytho.
Quin etiam Phoebo formae decus atque juventae
Aeternum: tenerae nunquam lanugine malae
Vel minima sordent: oleo perfusa nitescit,
Non ~~unguen~~ spargens, sed odoriferam panaceam Tadipem
In terram coma; quam vero ros ille rigarit

bus sit εὔυμνος, laudibus abundans, hoc est laudatu facilis, hic puerorum chorus non per hunc dumtaxat sollemnem diem, sed per alios etiam Phoebum laudabit.

38 ... *Lyctius arcus &c.* Cretensis, a Lycto urbe Cretae. Ideo autem hic Apollinis arcus Lyctius dicitur seu Cretensis, quod τοξοφόροι, seu sagittandi peritia celebres olim fuerint Cretenses.

40 ... *testatur Delphica Pytho.* Alludit ad statuam Apollinis auream, et donaria in templum Delphicum ex toto terrarum orbe collata, de quibus videndus Pausan. in Phoc. *Pytho* autem urbs Graeciae, eadem ac Delphi, sic dicta, quia ibi Apollo sub serpentis symbolo colebatur, quod Pythonem puer sagittis occidisset.

41 *Quin etiam Phoebo formae decus &c.* Non solum Phoebo, sed etiam Baccho aeternam juventutem tribuit Tibullus l.I. el.4.

> *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque juventa.*

43 ... *oleo perfusa nitescit &c.* Non unguentis e variis odoribus compositis caput perfusum habere Apollinem dicit poëta, sed simplici tantum oleo; utrum e sola myrrha, an forte e balsamo, vel potius croco constante, vide ad hunc locum Spanhemium, qui ταῦτα περὶ τούτων more suo.

44 ... *odoriferam panaceam &c.* πανάκεια proprie est herba quaedam ita dicta, quod omnibus morbis mederetur, unde potens dicitur a Lucano lib. IX.

> *Et panacea potens, et Thessala centaurea.*

Hic vero neque pro herba, neque pro hujus herbae succo accipienda est, ut apud Virgil. Aen. XII. *spargitque salubris ambrosiae succos, et odoriferam panaceam*; sed verisimilius, ut observat Spanhemius, pro ipsa salute et morborum omnium medela, quam instar odoriferae panaceae Apollo tamquam Ἰατρὸς non minus ac vates e coma spargit in eas urbes, quas *felices* esse vult, et *nullis obnoxias morbis*. Opportune hic affert Spanhemius Hesychii glossam, πανάκεια θεραπεία, et Hippocratis jusjurandum: ὄμνυμι Ἀπόλλωνα Ἰητρὸν καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ Ὑγείαν καὶ ΠΑΝΑΚΕΙΑΝ.

Defluus, urbs felix nullisque obnoxia morbis.
  Praeterea omnigenas excultus nemo per artes
Tam bene quam Phoebus: telum vibrare peritos
Ille sibi, doctos sibi vindicat ille poëtas;
Tela etenim Phoebo sunt aeque et carmina curae.
Ille regit sortes etiam, eventura per illum
Praesentit vates; instans mortalibus aegris
Protrahere ex illo letum didicere medentes.
  Pastorem nec non Phoebum nos dicimus, ex quo
Imberbis magno Admeti succensus amore
Amnis ad Amphrysi ripas pavisse jugales
Fertur equas. oculos qua caelo Phoebus ab alto
Volverit, innumeri late per pinguia tauri
Pascua surgentes carpent felicius herbas:
Non ovibus mixtas pastor sine prole capellas,
Non steriles plorabit oves, aut lactis egentes;
Ubera sed praebebit ovis tunc quaelibet agno
Plena suo; enitique prius quae sueverat unum,
Mox geminos pariet, geminosque alet ubere fetus.
  Moenia mortales etiam duce condere Phoebo
Sueverunt, quorum ipse locat fundamina, gaudens
Moenia sustolli, et praecingi moenibus urbes.
Nam puer attigerat quartum vix Delius annum,
Cum curvi prope stagna lacus fundamina primum
Ortygia in pulcra struxit. venata caprarum

---

47 *Praeterea omnigenas &c.* est enim Sagittarius Musicus, Vates, Medicus, Pastor, ut infra.

54 *Pastorem nec non Phoebum &c.* Apollinem Νόμιον seu Pastorem, inquit Macrobius, cognominarunt, non quod Admeti Thessaliae Regis armenta paverit, ut est in fabulis, sed quia Sol pascit omnia, quae terra progenerat. *Amphrysus* parvus Thessaliae fluvius, Halum oppidum alluens, et juxta Othryos montis radices in Sperchium amnem decurrens. Apollinis vero pastoris nota fabula.

65 *Moenia mortales etiam &c.* Apollinem urbibus condendis et delectari et multum valere ex eo confirmat poëta, quod et puer quadrimus templum atque aram ex cornibus in Delo construxit, et Batto in Cyrenarum urbe condenda opem tulit. ⊖

70 *Ortygia in pulcra &c.* Ortygia

⊖ Plutarchus etiam de Pyth. Oracul. inter ingentia beneficia ab oraculo Apollinis Delphico in universum genus collata, κτίσεις seu urbium extructiones recenset. In urbibus enim condendis Apollinem consulere, ejusque oracula atque auspicia sequi homines solebant.

Nam capita assidue puero Diana ferebat
Cynthiadum, quibus ipse aram texebat Apollo.
Fundamenta quidem, pulcramque e cornibus aram
Extruxit, murosque e cornibus addidit arae;
Magna tamen parvis primum fundamina coeptis
Ponere sic didicit. Batto dein ubere glebae
Insignem ostendit tellurem, ubi conderet urbem
Ille meam, ~~felix etenim~~ cum corvus eunti
Dux erat in Libyam populo, tunc Regibus ultro,
Haud unquam fallax jurandi inventus Apollo,
Moenia juravit nostris se magna daturum.
  Phoebe, Boëdromium multi (nam nomine gaudes
Multiplici), Clarium multi te, Phoebe, vocarunt;

L; nec non, felix

L i

---

insula maris Aegaei, eadem ac Delos Phoebi patria, ab ὄρτυξ, coturnix, quod ibi primum haec avis visa sit, vel a coturnicum copia, vel quia cum eo Latona appulisset, ab Jove in coturnicem mutata est, ut Junonis iram vitaret, ut tradit Servius ad Aeneid. III. v. 72. Hyginus fab. 53. aliique volunt non Latonam, sed ejus sororem Asteriam cum Jovis amorem fugeret, ab eodem in coturnicem conversam et in mare abjectam; insulam deinde in eo loco in quem cecidit enatam esse, quae Ortygia a coturnice, Asterie a Nymphae nomine dicta est, antequam Delos appellaretur. Vide hymn. in Delum v. 44.

72 *Cynthiadum &c*: caprarum, quas Diana in Cyntho Deli monte venata erat. Ara vero, quam ex harum caprarum cornibus struxerat Phoebus inter septem mundi miracula celebrabatur, teste Plutarcho in libello de solertia animalium. Ovid. in Epist. Cydippes de eadem:

Miror et innumeris structam de cornibus aram.

76 ... *Batto dein ubere glebae &c.* Auspicio et ductu Apollinis Cyrenem Callimachi patriam in Africa a Batto Lacedaemone conditam esse, unanimi scriptorum consensu receptum est. Callimachus addit Batti ejusque asseclarum in hac migratione corvum fuisse ducem; seu vere corvus, qui auguralis est, et Phoebo sacer, seu Phoebus ipse sub corvi specie intelligendus sit.

82 *Phoebe, Boëdromium &c.* Notant hic scholia Apollinem dictum ab Atheniensibus Boëdromium, hoc est auxiliatorem, quia ejus oraculo moniti in hostem subito clamore irruere, victoriam de iis reportarunt. Nec Apollinem solum, sed etiam mensem, quo hanc victoriam retulerunt, appellarunt Athenienses βοηδρομιῶνα.

83 ... *Clarium multi te, Phoebe, vocarunt*; nempe a Claro Joniae oppido condito prope Colophonem urbem a Manto Tiresiae filia, ubi fons, lucus, et templum Apollini sacrum,

80... fallax jurandi. Cum genitivo etiam Tacitus: homines... amicitiae fallaces. Ann. l. 16. c. 32.

Ast ego Carneum patrio te nomine dicam.
Sparta tibi, Carnee, antiquior, altera There,
Tertia Cyrene sedes. Lacedaemone Theram
Duxit ab Oedipoda proles te sexta, recepta

atque Μαντεῖον, seu oraculum celeberrimum. Inde Germanicus apud Tacitum, *appellit Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur*.

84 *Ast ego Carneum &c.* Ita primum Spartani Apollinem cognominarunt, et sollemnis fuit apud eos Carneorum celebritas. Nomen vero a Carno quodam vate Acarnane, qui divinandi artem ab Apolline didicerat, originem habuisse refert Pausan. in Lacon. *Hunc*, inquit, *cum interfecisset Hippotes Phylantis filius* (Graecus interpres ab Alete quodam interfectum esse adnotat); *iratus Deus Doriensium castra male mulctavit. Hippota in capitis judicium adducto, Dorienses Acarnanem vatem statuerunt sacris et caeremoniis placandum.* Callimachus vocat *patrium* hoc Apollinis nomen, ut ostendat gentem suam a Spartanis originem traxisse, quod paullo fusius explicare abs re non erit, ut ea quae sequuntur facilius intelligi possint. Theras Thebanus, qui sextus fuit ab Oedipo rege, coloniam Spartanorum in unam ex maris Aegaei insulis, quas Sporades appellant, deduxit, eique, quae prius Calliste vocabatur, nomen Therae fecit. In hac insula Battus, quem Graecus interpres voce omnino destitutum, Herodotus sono vocis exili ac balbutiente tantum fuisse dicit, cum de voce recuperanda Apollinis oraculum consuluisset, nullum de voce responsum accepit, sed in Libyam commigrare, eoque coloniam deducere jussus est. Quo cum pervenisset, viso repente leone, clamorem prae metu sustulit, vocemque recuperavit. Inde Cyrenarum urbem condidit, ubi Carneorum festum quotannis celebrandum Spartano more instituit. Haec igitur celebritas Spartae primum instituta, Sparta in insulam Theram a Thera, ab hac demum insula in Cyrenarum urbem a Batto invecta fuit. Brevitatis gratia omitto veterum auctorum hac de re testimonia, quae videsis, si lubet, in Spanhemii commentario, aliorumque interpretum adnotationibus ad hunc Callimachi locum. Vide praesertim Meursii Graeciam feriatam in voce Κάρνεια. Primam in Cyrene produxi Virgilium sequutus, licet corripiat hic Callimachus, et Catullus in Carm. VII. *Laserpiciferis jacet Cyrenis*.

87 *Duxit ab Oedipoda proles te sexta &c.* Theras scilicet, ut supra dictum est. Oedipi enim filius Polinices, hujus Thersander, Thersandri Autesion, Autesionis Tisamenus, Tisameni Theras. Eadem horum series in scholiis apud Pindarum occurrit Olymp. Od. II., nisi quod Tisamenus non filius, sed pater Autesionis statuitur. A Thera vero ad Battum septendecim generationes esse tradit Pindarus. Battus igitur Spartanus quidem origine, sed patria Θηραῖος, ut etiam vocatur a Pindaro Pyth. od. IV. *ab Oedipoda &c.* cave intelligas ab Aedipi filio: Oedipodes enim, ut apud Callimachum

Hinc voce in terram Battus te Asbystida vexit.
Pulcra locans hic templa tibi, celebranda quotannis
Urbe nova indixit sacris sollemnia pompis,
In quibus ante tuas taurus, Rex, plurimus aras
Extremum procumbit. io, Carnee, vocamus
Quem prece multiplici: variis tibi vere renident,
Quotquot odoriferum gignit ver, floribus arae,
Cum levibus Zephyrus tellurem roribus afflat.
Ipsa autem tibi bruma crocum submittit odorum;
Et tua perpetuis lucent penetralia flammis,
Nec cinis hesternos unquam depascitur ignes.
   Quam vero, ut redeunt Carneae tempora pompae,
Quam gaudet Phoebus, flavis permixta Libyssis

---

hoc loco, ita etiam apud Latinos idem ac Oedipus. Ita apud Senec. in Herc. fur. v. 469. apud Statium Theb. I. v. 48. et alibi, licet Theb. II. v. 465. videatur Statius pro Oedipoda intelligere Oedipi filium.

88 ... *in terram* ... *Asbystida &c.* in eam Libyae partem, ubi condita fuit Cyrene, quam Graecus interpres ita vocatam esse putat παρα την ασβεστον, *calcem vivam*. Hanc opinionem videtur confirmare Pindarus, qui Pyth. od. IV. agrum Cyrenaicum vocat αργινοεντι μαστῳ, *album uber terrae*. Apud tamen Herodot. lib. IV. cap. 170. Ασβυσται, qui et Asbytae vocabantur, gens Africae est supra Cyrenem. Battus hic a Callimacho vocatur *Aristoteles*. Ita etiam Eusebius in Chronico ad annum MCCLIX. *Theraei Cyrenem condiderunt, oraculo sic jubente. Conditor urbis Battus, cujus proprium nomen Aristoteles*. Dicitur etiam Ουλες, hoc est sanus, ob vocis usum, quem occasione deductae Cyrenarum coloniae ex Apollinis oraculo recepit. Vid. Herodot. lib. IV.

93 ... *variis tibi vere renident &c.* Arae veterum ut herbis, seu frondibus, quae in genere *verbenae* a Romanis, ut notum, dicebantur, sic floribus etiam vinciri et coronari solitae.

96 ... *tibi bruma crocum &c.* qui scilicet hyeme floret, ut notat Scholiastes. Crocum autem Cyrenaicum eximii esse prae aliis odoris tradit cum alibi Theophrastus, tum Histor. Pl. lib. VI. cap. 6.

97 *Et tua perpetuis &c.* Ex hoc loco discimus in templo Καρνειου Apollinis apud Cyrenaeos perpetuum ignem servatum, sicut et alibi in Graecia factum esse legimus, unde mos perpetui ignis Vestae custodiendi apud Romanos defluxit.

98 *Nec cinis hesternos &c.* voluit per hoc significare poëta, nunquam cinere contegi, neque ideo extingui ignem: nam paullatim ignem absumit cinis.

100 ... *flavis permixta Libyssis &c.* Phoebum gaudere inquit

Dum saltat baltheis Bellonae armata juventus!
Dorica Cyre gens nondum accedere font
Quibat, at Azilis nemorum juga plena colebat.
Hanc placido aspexit Rex Delius ore, suaeque
Stans bifido ostendit Myrtusae in vertice Nymphae
Hypsidi, per opaca feras quae lustra fatigans
Straverat Eurypyli vastantem armenta leonem.
Ex illo chorus hoc ~~Phoebo divinior ullus,~~
~~Haud visus; Nymphaeque memor, quam tunc sibi raptam~~

---

choreis, quas armati juvenes cum Libycis mulieribus permixti peragebant in solemni Carneorum festo. Notae autem in festis veterum, maxime Apollinis ac Dianae, juvenum ac virginum choreae, de quibus plura in seqq. hymnis in Dianam, et in Delum dicenda occurrunt.

101 ... *baltbeis Bellonae armata juventus*! Recte interpretatur Scholiastes περιφρακτικους significare τυς πολεμικυς, qui ενοπλια saltabant.

102 *Dorica Cyre gens &c.* Dorienses, primi nempe Cyrenarum conditores, quorum majores Sparta in insulam Theram profecti erant, et qui postea ad deducendam Cyrenarum coloniam ipsi in Libyam, ut vidimus, transmigrarunt, Dorienses, inquam, antequam Cyrenas conderent, incolebant Azilim, seu Azirim (ita enim vocatur ab Herodoto et aliis), qui est Libyae mons nemoribus frequens, quin possent accedere ad fontem Cyres, seu Cyrnes (utroque enim modo legitur apud Stephanum), ubi postea Cyrenae conditae sunt. Videtur autem hoc loco indicare velle Callimachus Cyrenarum nomen desumptum fuisse a Cyrene Hypsei Regis Lapitharum filia; quam (ut tradunt ex Acestore veteres ad Apollonium Critici l. II. v. 500.) Apollo raptam amoris caussa e Thessalia in Libyam transtulit regnante in illis locis Eurypylo. Eo tempore, cum forte leo Africam, et eam in primis Africae partem, quae postmodo Cyrenaica dicta est, vastaret, praemium Eurypylus interfecti leonis proposuit, partem regni: leonem occidit Cyrene in Myrtusa Libyae monte, praemiumque accepit. Ab hac igitur Cyrene Cyrenis nomen factum non obscure indicat poëta cum ait, ab Apolline stante in Myrtusae vertice ostensos illi fuisse Dorienses.

108 *Ex illo chorus, &c.* ex eo nempe tempore, quo Cyrenarum urbi uxoris suae nomen inditum est, nullum alium chorum vidit Apollo Deo digniorem, spectabilioremque, quam chorum Cyrenaeorum cum Libyssis saltantium in Carneis. Notandum hic obiter ex hac Cyrene et Apolline natum esse Aristaeum, de quo Virgil. Georg. 4., eamdemque a Virgilio dici Penei Thessaliae fluminis filiam, eorum sententiam sequuto, quos Apollonii interpres loco superius citato reprehendit.

~~Connubio junxit~~, prae cunctis urbibus unam
Muneribus cumulat Cyrenem; nec magis ipsi
Ullum Battiadae quam Phoebum numen adorant.
  Undique io canitur jam Paean. Delphicus olim,
Aurea cum tenera torsisti spicula dextra,
Sic populus plausu excipiens te Phoebe secundo,
Concinuit. tibi nam Pythonem occurrit eunti
Monstrum ingens saevumque draco, quem vulnere crebro
Telorum dum sternis, io, circumundique, Paean,
Clamat, io, populus, Paean, emitte sagittam;
Te nobis nam mater opem Latona ferentem
Jam peperit. longo hinc populus post tempore, Paean,
Clamat adhuc. Phoebi livor clam fatur ad aurem:
Nil moror, immenso sua qui non carmina ponto
Exaequat, vatem: pedibus propellit Apollo
Livorem; magnumque, inquit, fert agmen aquarum

Raptam animo Nympham,

113 ... *io canitur jam Paean &c.* Sumpta occasione ab usitato applausu, quo in sacris Apollinis populus acclamabat, *io Paean*, exponit originem ejus consuetudinis, quam a dracone Pythone Apollinis sagittis prope Delphos interfecto exortam esse demonstrat. De hoc autem dracone a Phoebo occiso nota fabula.

116 ... *Pythonem occurrit &c.* vide notas ad v. 23. et 40. hujus hymni.

120 *Te nobis nam mater &c.* verba haec sunt populi Delphici appellantis Apollinem κοσσητῆρα, hoc est auxiliatorem suum a Latona jam editum.

122 ... *Phoebi livor &c.* Epilogus, quo maledico cuidam (quem Apollonium Rhodium fuisse nonnulli judicant) respondet. Fuerat autem Callimachus ab eo, quisquis ille invidus fuerit, ob carminum brevitatem notatus, ut qui prolixum poëma non posset ludere, sed breves tantum hymnos et epigrammata; qua brevitate ita delectabatur, ut teste Athenaeo in primordio lib. 3. dicere solitus fuerit: *magnus liber, magnum malum*. Hunc autem invidum appellat φθόνον, hoc est ipsam invidiam αὐξητικῶς.

123 *Nil moror &c.* verba sunt invidi, quibus, ut notat Graecus scholiastes, coactus Callimachus fuit, ut *Hecalen*, poëma longum conderet.

125 ... *magnumque, inquit, fert agmen aquarum &c.* Venustissima comparatione maledicum aemulum poëta refellit, prolixiora carmina assimilans ingentibus fluviis, cujusmodi est Euphrates in Assyria, qui cum magna aquarum copia magnam etiam sordium copiam et coeni volvunt, brevia autem epigrammata et hymnos fontibus, parvis illis quidem, sed illimibus.

Euphrates, magnis sed aquis foedissima terrae
Proluvies immixta fluit: cerealia contra
Non omni latices de fonte in sacra Melissae
Ferre solent; sed, qui nitidis argenteus undis
Fonte scatens sacro per purum volvitur alveum,
Florem delibant laticis. Rex inclyte salve:
Hinc eat, et cura Momus tabescat edaci.

---

128 ... *in sacra Melissae ferre solent &c. Melissas* dictas esse Cereris sacerdotes docet Graecus Pindari interpres ad od.4. Pyth. quarum insigne erat corona, papaver, et clavis pendula ex humeris, ut videre est in Callimachi hymno in Cererem. Ita autem appellatas esse a Melissa filia Melissei Cretensium Regis tradit ex Didymo Lactantius lib. I. cap.22. *Non omni latices de fonte &c.* notum est, ut A. Fabri animadvertit, non fuisse olim in quibusdam sacris cujuslibet aquae usum promiscuum; ita Romani Cybelem Almone lavabant, non Tiberi; nec igne quolibet ad sacra utebantur, sed rite accenso.

132 ... *cura Momus tabescat edaci.* ὁ δὲ Μῶμος ἵν' ὁ Φθόνος, ἔνθα νέοιτο. *Momus autem ibi habitet, ubi mors*, hoc est intereat, in malam rem abeat. Momus deus quidam esse dicitur nocte ac somno genitus, cui mos est ipsum quidem nihil agere, sed aliorum Deorum opera curiosius contemplari, et liberius notare et carpere: hic pro ipsa invidia, seu pro irrisore et reprehensore suo a Callimacho usurpatur.

HYMNUS IN DIANAM.

ARGUMENTUM

Laudat Dianam Poëta a prima indole, et ingenio virginitatis et venationis amantissimo, a Jovis paterno in eam affectu, tum a rebus apud Cyclopas in Lipara, et Panem in Arcadia, passimque in venationibus gestis: praeterea a majestate divina, quam in malis hominibus puniendis ostendit: itemque a praecipuis locis in quibus colebatur, ac nymphis, quarum consuetudine in terris delectata est: postremo a donariis et templis in ejusdem honorem dedicatis religiose commendat.

Dianam, quam tela juvant caedesque ferarum,
Nympharumque chori, lususque in montibus altis,
Dianam ~~canimus (grave enim est transire canenti~~
[redacted] ~~) hinc orsi ; ut patrio cum parva sederet~~
[redacted], magno fuerit sic fata Parenti.
Virgineum servare decus, multisque vocari
Nominibus, certare mihi ne possit Apollo,
Da pater; atque arcus concede et tela: pharetram
Non ego, non arcum ingentem peto: namque sagittas
Instabunt mihi mox, curvum Cyclopes et arcum.

(grave enim indicium est transire canenti)
Hinc orsi canimus; patris ut parva sederet [illegible]
Quum genibus,

---

6 *Virgineum servare decus &c.* Daphnes apud Ovidium idem petens a patre; *da mihi perpetua genitor carissime, dixit, virginitate frui*, additque, *dedit hoc pater ante Dianae*. Nota decoram Dianae orationem, qua Jovem non de rebus ludricis infantium more, sed arduis maximeque utilibus interpellat: petit enim virginitatem perpetuam, deinde artem venandi cum telis et habitu venatorio, tum nymphas pedissequas et comites, denique jus obtinendi omnes montes et silvas.

7 . . . . *certare mihi ne possit Apollo &c.* quem multis nominibus gaudere dixit poëta in hymno in Apoll. v. 82.

Hoc peto; ſit faculas mihi fas praeferre, ferarum
Cum jaculo celerique ſequar veſtigia curſu,
Virgatam genibus tenus et ſuccingere veſtem.
Praeterea nonum natas non amplius annum
Sex denas mihi da, pater, Oceanitidas, omnes
Saltantes, omnes diſcincta in veſte puellas.
Viginti quoque da Nymphas Amniſidas, acres
Quarum ſit curare canes altoſque cothurnos,
Si quando cervoſque ſequi lyncaſque fugaces
Deſiero. montes etiam mihi, Juppiter, omnes
Imperti: quamcumque mihi conceſſeris urbem,
Nil moror; alta colens nam culmina rarius urbes
Inviſet Diana. hominum tunc oppida tantum

11 ... *ſit faculas mihi fas praeferre &c.* In multis Graecorum Romanorumque nummis modo una, modo duabus facibus armata Diana cernitur. Hinc φωσφόρος dicta et culta apud Graecos, ſeu φωσφόρος: apud Romanos autem Diana Lucifera.

13 *Virgatam genibus tenus &c.* Proprius venantium habitus: ſic apud Virgil. Aen. I. *Nuda genu, nodoque ſinus collecta fluentes*. Veſtem hanc appellat poëta λεγνωτόν, ubi Erneſtus: *Multa de hoc verbo Spanhemius, qui adeundus. Verti tunicam virgatam, nec a vero me puto aberraſſe*: *Heſych.* λεγνώδεις, ποικίλας. λεγνωταί, ποικίλαι.

14 *Praeterea nonum natas &c.* qua nimirum aetate lepidiſſimae ſolent eſſe puellae, inquit Erneſtus. *Omnes diſcincta in veſte puellas*: Sine zonis, ἀμίτρους. Vide quae de zonis mulierum diximus ad v. 22. hym. in Jovem; ſi plura cupis conſule Spanhemium. Hic addendum ex Barth. Adv. IV. 9. et ex Potter. Archaeol. IV. 11. zonas illas propterea uſurpatas a virginibus adultis, atque etiam a maritatis, ut tutae eſſent a vi libidinoſorum; a qua cum nihil timendum eſſet impuberibus, nec zonis opus fuiſſe.

17 ... *da Nymphas Amniſidas &c.* *Amniſus* Cretae fluvius. Stephanus Byzantius dicit eſſe civitatem Cretae, cujus Nymphae Amniſiades, et *Amniſides*. Fortaſſe fluvius et civitas, ut Stephani locum emendat Th. Pinedus.

18 ..... *altoſque cothurnos &c.* ἐνδρομίδας, non veſtes illas e craſſiore lana et longioribus pilis, ad arcendum frigus a Romanis adhibitas, quas *endromides* vocat Juvenal. Sat. 3. et Martial. lib. 4. Epigr. ἐνδρομίδες proprie erant calceamenta curſorum teſte Polluce lib. 3. Atque etiam proprie dicebantur ita calcei Dianae, ut teſtatur idem Pollux l. b. 6. vocavi cothurnos Virgilium imitatus Aen. l. I.

Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,
Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.

Lustrabo, cum crudeli paritura dolore
Pressa gemet mulier, meque in sua vota vocabit.
Parca etenim dedit exorienti in luminis oras
Hoc mihi munus, opem parienti ferre puellae;
Quod gravida Latona parens me gessit in alvo,
Me peperit nullos uteri perpessa labores.
Sic ait, et magni barbam prensura Parentis
Parvula saepe manus, sed frustra nata tetendit.
Annuit arridens pater olli, blandaque mulcens
Dicta refert. par, nata, tui suscepta Deabus
Si foret ex aliis mihi proles, invida Juno
~~Nequidquam insolitas mecum exardesceret iras.~~ Me nihil insolitas curante ardesceret iras.
Nunc vero a facili quae poscis cumque parente
Nata feres, quin plura etiam: donabimus unam
Non arcem tibi; ter denas sed protinus urbes
Non aliud quam te venerantes Numen habebis;
Non alio quam Dianae de nomine dictas.
Atque ubi Numinibus sacrae consortibus urbes,

24 ... *cum crudeli paritura dolore &c.* De Diana Lucina opem parturientibus ferente vide quae dicta sunt ad v.13. hym. in Jovem.

26 *Parca etenim &c.* Non solum Diana Ειλειθυια, sed etiam Parcae aderant parturientibus, ut observat Spanhemius, et veterum auctorum testimoniis confirmat.

29 ... *nullos uteri perpessa labores.* Latonae Dianam parienti adstitisse Minervam, Lucinaeque vicem praestitisse tradit Aristides hymno in Minervam; sed Apollinem parienti adstitisse non tradit. Hinc Dianam *peperit nullos uteri perpessa labores*; in Apollinis autem puerperio pariendi doloribus graviter adflicta est, ut inquit poëta noster in hymno in Delum.

30 ... *barbam prensura Parentis &c.* quod supplicantis et blande demulcentis erat, ut et genua apprehendere. Ita Thetis apud Homerum Iliad. I. v.500. et seqq., quos elegantissime ita reddit Cl. Homeri interpres Cunichius:

.... laevamque, precantum
More, manum apposuit genibus (Jovis), *dextramque sub imum*
Suppliciter mentum admovit.

38 *Non arcem tibi &c.* in arcibus enim solebant coli tutelares Dii, ut Trojae, Athenis, Romae etc.

40 *Non alio quam Dianae &c.* Αρτεμισια non solum Dianae signa, aut fana, aut etiam festa, sed plura etiam oppida vocata esse, a Geographis, aliisque antiquis auctoribus liquet.

41 ... *Numinibus sacrae consortibus &c.* Praeter oppida Artemisia,

Vel procul a pelago, medio vel in aequore surgent;
Ara tibi nusquam deerit, nec lucus; ubique
Portubus et custos eris, et tutela viarum.
Haec fatus natae pater annuit. illa comantem
Arboribus petit in terram Curetida Leucum;
Mox adit Oceanum; Nymphas ubi deligit omnes
Impubes, omnes discincta in veste puellas.
~~Tunc fluvius magnis exultat Caeratus undis~~;
Dulcia pertentant ~~Tethyn et~~ gaudia, natas
~~[illegible] suas~~ sibi quod legit Diana ministras.
Hinc Cyclopas adit; vastis quos Diva sub antris
Invenit Lipares (hoc nunc cognomine gaudet

---

et unius Dianae cultui addicta, in aliis etiam cum mediterraneis oppidis, tum insulis, una cum aliis Diis, quorum sub numine praecipue esse debebant, cultum iri Dianam spondet Juppiter, et nusquam aut excitatas illi aras, aut sacros lucos deſuturos.

44 *Portubus et custos &c.* Non solum *Montana*, *Nemorensis &c.* sed etiam Λιμενοσκοπος, *portuum inspetrix* dicta est Diana: hinc habebatur etiam tamquam Dea πελαγιος, seu *marina*, et Nymphis Oceaninis, ut supra vidimus, stipari credebatur. Praeerat etiam viis, et maxime in triviis colebatur, unde passim, ut notum, dicta *Trivia*.

46 ... *in terram Curetida Leucum*. Mons est in parte occidentali insulae Cretae, λευκος dictus, *albus*, quia summa ejus juga semper nivibus alberent, ut testis est Theophr. lib. IV. Hist. Plant. c. I. Alii etiam Cretae montes λευκοι dicebantur, sed in plurali numero, non, ut hic *Leucus*, in singulari, ut notant scholia. Cretam vero etiam Curetidem appellatam fuisse testatur Plinius lib. IV. cap. 12. et Ovid. Metamorph. lib. VIII. v. 153. *ut egressus ratibus Curetida terram contigit*.

49 ... ~~*Exultat*~~ *Caeratus &c.* ποταμος additur a poëta praeter solitum, quod Caerati nomine non fluvius solum Cretae, de quo hic sermo, sed a praeterlabente fluvio nobilissima illius insulae urbs Cnossus fuerit olim dicta, ut ex Strabone, Eustathio in Perieg. et Hesychio viri docti observarunt.

50 ... *pertentant* ~~*Tethyn et*~~ *gaudia &c.* Cave Tethyn hanc Oceani uxorem cum Theti confundas Nerei filia, uxore Pelei, et Achillis matre, de qua sermo in hymno in Apollinem. v. 22.

53 *Invenit Lipares &c.* Haec una est ex Aeoliis insulis in mari Tyrrheno inter Italiam et Siciliam, de qua ita Plinius lib. XII. cap. 9. *Lipara cum civium Romanorum oppido dicta a Liparo Rege, qui successit Aeolo: antea Meligonis vel Meligunis vocitata*, sacra Vulcano est, quia qui-

Insula, tunc Meligunis erat) candentia circum
Vulcani super arrectos incudibus aera,
Atque opus urgentes magnum; vas namque parabant
Ingens, Neptuni potarent unde jugales.
Tum vero Nymphas ingens circumstetit horror,
Ut primum fera monstra, jugis aequandaque cernunt
Ossaeis; unum torva namque omnibus instar
Quadruplicis clypei lumen sub fronte micabat.
Tum fragor incudis resonantis terruit, et vis
Ingens emissae taurinis follibus aurae;
Qua curvis tonat Aetna antris, tremefactaque sedes
Trinacria excutitur Siculûm, vicinaque tellus
Italiae, et longe Cyrnos pulsata resultat.
Ast super alternis humeros Cyclopes ut alte
Extollunt malleos, atque aera educta caminis,
Aut ferrum validis adnixi viribus ardens
Exercent, crepitantque cavis incudibus ictus,
Nec ferre insuetum Nymphae potuere fragorem
Amplius, horribiles visu nec cernere [illegible]. L vultus.
Nec trepidas quisquam miretur: non sine magno

---

busdam in locis flammam et fumum evomit. Pulcherrimam officinae Vulcani descriptionem vide apud Virgil. Georg. lib. IV. et Aen. VIII. et cum hac Callimachi confer.

56 .... *vas namque parabant &c.* ποτιστρην aquarium nempe vas equis Neptuni adaquandis.

59 .... *jugis aequandaque cernunt Ossaeis*; Ossae scilicet altissimo Thessaliae monti, quem unum esse ex iis montibus, quibus coacervatis in caelum ascendere Gigantes conati sunt, fabulantur poëtae.

60 ...*instar quadruplicis clypei &c. Quattuor intexti tauris*, ut loquitur Virgil. Aen. X. 784. hoc est quadruplici corio bubulo. Nota Virgilianam imitationem Aen. III. 637. *Argolici clypei, aut phoebeae lampadis instar*.

66 ... *et longe Cyrnos &c.* Insula maris Ligustici, quam Latini Corsicam vocant: ejus descriptionem habes in Plinii lib. III. cap. 6. Vide etiam hymnum in Delum ad v. 24.

73 *Nec trepidas quisquam miretur &c.* Sensus hic est: nec mirum esse debet, si Nymphae Oceaninae *nonum natae non amplius annum* Cyclopum visu perterreantur, cum etiam aliae Deorum filiae majores natu tam immania monstra reformident. Quo autem id modo con-

Monstra metu tam dira vident aetate vel ipsae
Majores natae Divûm: nam siqua parentem
Laeserit indocilis, genitrix irata Cyclopas,
Aut Argen vocat, aut Steropen: penetralibus Hermes
Ilicet e tecti erumpit, fuligine et atra
Oblitus improbulam terret: fugit illa parentis
In gremium, trepidisque obnubit lumina palmis.
Tu vero [redacted] trima fores, et mater in ulnis
Te ferret, [redacted] te visendi captus amore
Mulciber arcessit Latonam magna daturus

---

tingeret elegantissime indicat poëta, Deorum puellas inquiens, cum matri molestae essent deterreri solere ciendo Cyclopas, a quibus vorarentur; et Cyclopum personam sustinere Mercurium ex interiore domo repente erumpentem vultu fuligine oblito instar Vulcanii Cyclopis. Cujus moris (si modo hic fuit Graecorum mos aut hujusmodi terriculamento protervis puellis timorem injicerent) index est singularis et unicus, ut observat Spanhemius, hic Callimachi locus. Puerorum terriculamenta Graeci vocabant μορμολυκεῖα; cum enim puerorum vagitum aut clamorem vellent reprimere, dicere solebant μορμω (larva) aut λυκος (lupus), cujus posterioris vocis exemplum alicubi est apud Aesopum, prioris vero apud Theocr. Idyll. 15. v. 40. *Manducum*, quo infantes terrerent, et *lupum* habebant etiam Romani, ut notat Donatus in illud Terentii, *lupus in fabula*. Huc facit etiam illud Juvenal. Sat. 3. v. 175.

. . . . . cum personae pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

Solebant etiam ad pueros terrendos Romanae feminae Annibalem vocare. Cave autem in caelo factum putes, quod hic asserit poëta, cum constet habuisse quidem Deos multas filias, sed omnes e mortalibus genitas non in caelo, sed in terris vixisse. Itaque vel heroum, vel etiam Deorum, sed in terra degentes filias intellige, et pro Hermete non Mercurium caelestem illum Deorum nuncium, sed alium terrestrem, cujus diserta mentio apud Servium ad Virg. Aen. IV. 577.

77 *Aut Argen vocat, aut Steropen &c.* Nomina Cyclopum, quos septem fuisse tradit Strabo lib. VIII. tres tantum ab Hesiodo ac Virgilio commemorantur, hic vero duo, sed quibus mox additur tertius, nempe *Brontes*.

81 *Tu vero cum trima fores &c.* Laudat Dianae magnanimitatem et fortitudinem, quae cum esset puellula adeo horridi Brontae consuetudinem non reformidavit, ut etiam genibus ejus insederit, et pilos e pectore evulserit: quod a signo probat, et a simili illustrat.

83 *... magna daturus munera &c.* quae nempe propinqui dare consue-

Munera; tu genibus sidens interrita Brontae
Vi magna ~~hirsuto~~ vulsisti e pectore setas, medio
Cujus adhuc pars glabra manet; ceu tempora circum
Cum serpens populat turpis porrigo capillos.
Quare his Cyclopas compellas vocibus ultro:
Eja Cydoneumque arcum volucresque sagittas,
Telorumque cavum mihi septum instate; sororem
Teligero nam me Phoebo Latona creavit.
Quem vero errantem solis in montibus aprum
Transfodiam, immanemve feram, Cyclopibus escam
Apponam. nec plura inquis; mora nulla, facessunt
Jussa illi absolvuntque, quibus mox cingeris, arma.
Continuo Arcadicum catulos studiosa parandi
Antrum Panos adis: lyncem tum forte secabat
Maenaliam, canibus praebens praegnantibus escas.
Barbiger hic catulum Pan versicoloribus unum
Insignem tibi dat maculis, duo tergore villis
In medio nigris, tres longis auribus; omnes
Illorum de gente, queant qui dentibus ipsos

---

verant, cum primum natos infantes videbant, et quae propterea ὀπτήρια dicebantur. Ita etiam vocabantur munera, quae, ut ait Pollux, sponsae dabantur, cum primum in sponsi conspectum prodiret; tum praeterea quae teste Hesychio dabantur ἐν ἀνακαλυπτηρίοις, seu tertio a nuptiis die, quo nempe nova nupta amoto flammeo, et ita detecto primum vultu a propinquis conspiciebatur.

89 *Eja Cydoneumque arcum &c.* vide notam in fine ad v.41. in hymno in Jovem.

91 *Teligero &c.* Etiam Seneca appellat Cupidinem *teligerum* in Herc. Oet. v. 543.

97 *Antrum Panos adis &c.* Pana Arcadiae Deum venari solitum in Arcadiae montibus Lycaeo et Maenalo, et a venatoribus cultum ſuisſe docet Theoc. Idyll. I. et VII. et Propert. lib. III. el. XIII. v. 45.

99 *Barbiger hic catulum Pan &c.* Non modo hircinis pedibus, sed etiam ſacie caprina pingebatur Pan et sculpebatur, auctore Herodoto in Euterpe: hinc illum γενειήτην, barbatum, vocat poëta.

102 .... *queant qui dentibus &c.* Etiam Oppianus Κυνηγ. I. v.416. ait a generosis bellicosisque canibus terreri, atque interimi leones. Adde Gratium in Cyneget. v. 165. *ultroque gravis succedere tigrim, ausa canis*: quare nimis exaggeratum videri non debet quod hic de

Arripere, et vivos trahere in stabula alta leones.
Praeterea catulos Spartano e sanguine septem
Addit, qui rapidis praevertunt cursibus auras,
Hinnuleos seu vestigent, seu lumina nunquam
Claudentem leporem, trepidique cubilia cervi;
Aut monstrent quo nidum hystrix in pumice fodit,
Aut ubi dama citis fixit vestigia plantis.

His demum exactis nemoroso Panos ab antro
Digrederis; gressumque canes comitantur herilem.
Parrhasio primum tunc cervas quinque sub alto
Prospicis errantes tauris (mirabile dictu!)
Majores, nigrum semper quae propter Anaurum
Pascebant: patulis fulgebat cornibus aurum.
Has mirata stupes, tacitoque haec pectore versas:
En primam, quae digna foret Latoide, praedam!
Nec mora; secreta catulis in valle relictis,
Quattuor assequeris veloci concita cursu,
Et celeri cogis collum supponere curru.

---

canibus Dianae a Pane datis asserit Callimachus.

104 .... *Spartano e sanguine septem &c.* Constat Lacedaemonios canes fuisse praestantissimos; Κυνοσουρίδας appellat Callimachus a Cynosura Laconica tribu. ♀

P Alii volunt esse genus canum Laconicorum, qui ex vulpe et cane Laconico nati erant.

106 .... *seu lumina nunquam claudentem leporem &c.* quem patentibus genis dormire testatur Plinius lib. XIX. c. 37. Aelianus item refert naturale esse huic animali, ut patentibus oculis somnum capiat.

113 ... *tauris (mirabile dictu!) majores &c.* Plura quidem admiratione digna in his cervis occurrunt: mirum, cervas, quae pascere ceteroquin solitae erant propter Anaurum Thessaliae fluvium, errare in Parrhasio Arcadiae monte: mirum etiam has cervas ſuisse cornutas, nisi feminas pro masculis fortasse dixit poëta, quod Latinis etiam usitatum est, cum canes et boves ſeminini generis faciunt: mirum denique harum cervarum cornua ſuisse aurea. Anaurus a poëta vocatur μελαμψήφιδος, hoc est *nigros lapides volvens*. Sic etiam Virg. de Nilo Georg. IV. 291.

Et viridem Aegyptum nigra fecundat arena.

119 *Quattuor assequeris &c.* Observa incredibilem Dianae celeritatem; quae sine ulla canum aut retium ope quatuor fugientes cervas propero cursu sit assecuta.

120 *Et celeri cogis &c.* Bijugibus alioquin cervis vectam Dianam veteres, qui supersunt etiamnum; et quos reſert Spanhemius, nummi exhibent; quos ob oculos habuisse videtur Claudianus, apud quem

Quam vero Alcidae postremum Juno laborem
Servavit, rapidis fugit Celadontis ad undas
Cursibus, et sospes Cerynea in rupe resedit.
O virgo Tityi domitrix Latois, et arma
Aurea sunt et zona tibi currusque; tuaeque
Fraena etiam mandunt sub dentibus aurea cervae.
Corniger at primum quo te, Latonia, currus
Sustulit? umbrosum Thraces glacialis in Haemum,
Unde Aquilo erumpit nimbis circumdatus atris,

(II. Cons. Stilich. v. 286.) Dianae *cervi currum subiere jugales*.

121 *Quam vero Alcidae &c.* Junonis odium in Herculem, et odii caussa, res nulli non nota. Labores Herculis celebriores duodecim feruntur, quos illi Eurystheus Mycenarum Rex imperitabat instigante Junone, ut interiret. Hos inter cerva aeripes et χρυσόκερως in Maenalo, vel, ut aliis placet, in Parthenio monte cursu comprehensa. Hunc laborem Callimachus tradit fuisse ὕστατον, ultimum; quod neque Graevio, neque Ernesto placet, cum Apollodorus lib. 2. tertium faciat, et legendum putant ὕστερον, hoc est *postea*, *postero tempore*. Verum cum et ipsi fateantur apud alios auctores esse quartum, quidni in hac opinionum discrepantia ultimum illi locum tribuere Callimachus potuit? Equidem cur a recepta lectione recedendum sit satis non video. De hoc, et aliis laboribus Herculis vide Ovid. Metamorph. lib. IX. et epist. Deianirae; item Theocr. Idyll. 31. et 32. et Virg. Aen. VIII.

122 .... *fugit Celadontis ad undas &c. Celadon* Arcadiae fluvius, de quo etiam mentio facta apud Homerum Iliad. VII. v. 133. ὠκυρόῳ Κελάδοντι, ad rapidum Celadontem. *Cerynea in rupe resedit*: in monte nempe Arcadiae Κερυνείῳ, a quo cervam hanc Cerynitim Servius appellat exponens verba illa Virg. Aen. VI. *fixerit aeripedem cervam licet*.

124 *O virgo Tityi domitrix &c.* Hic est Tityus ille Jovis et Elarae filius, qui cum teste Apollonio Argon. I. Latonam Junonis instinctu de stupro sollicitasset, Dianae sagittis interemptus est, et a Jove in tartara detrusus, per tota novem jugera

Porrigitur: rostroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fecundaque poenis
Viscera, rimaturque epulis &c.

Virg. Aen. VI. imitatus Homerum Odyss. XI.

127 *Corniger at .... currus &c.* Ideo *corniger*, quia vectus a cornutis cervis: ita Ovid. Fast. IV. 562. Cereris currum alatis draconibus junctum appellat *aligerum axem*; quo nil similius huic loco.

128 .... *Thraces glacialis in Haemum &c.* Haemus Thraciae mons frigidissimus, unus ex iis, *unde vocalem temere insecutae Orphea silvae*: Horat lib. I. od. 12.

Et premit immiti nudatos frigore Thracas.
Quae vero piceam exhibuit tibi silva secandam?
Quove igne exarsit? piceam dat Mysus Olympus,
Lucis inextinctae quam subjicis ipsa vapori,
Quo patriae stillant rutilantia fulmina dextrae.
  Ast arcum quoties argento, Diva, nitentem
Sollerti flectis tentamine? trajicis ulmum,
Dein quercum; valido rursus fera concidit ictu.
Quarta etiam adducto contorques tela lacerto;
In quercum non illa quidem: fatale sed urbes,
~~Immeritus~~ quibus et civis vexatur et hospes,
Excipiunt vulnus. miseros heu! congeris iram
In quos, Diva, tuam, poenisque ultricibus exples.
His armenta lues, grando depascitur agros:
~~Nequidquam~~ tondent natorum ad busta capillos

---

131 *Quae vero piceam &c.* Bina interrogatio et bina responsio, prima de face: Ubi facem incidisti? In Olympo monte Mysiae: altera de igne: ubi incendisti? In igne Jovis. Porro haec Mysia non Europaea, sed Asiatica, ubi etiam mons Olympus piceis taediferis abundans. Plures hoc nomine vocatos montes vide apud Geographos. Mysus et Mysius, utrumque apud auctores occurrit.

134 *Quo patriae stillant &c.* Metaphora ducta ab aqua, quam ad ignem transtulit etiam Lucretius, ubi de igne inquit:

Quam noster fluat e taedis terrestribus ortus.

136 .... *trajicis ulmum &c.* Primum arcus sui periculum fecit Diana jaciendo telum in ulmum, seu ut cum Virgilio loquar Georg. II.

Velocis jaculi certamina ponit in ulmo.

Secundum in quercum, tertium in feram, quartum in urbem improborum, qui et in cives et in hospites multa scelera admiserunt. De qua urbe hic sermo sit ambigunt interpretes, atque alius aliam assignat, cum multae fuerint, in quas ob violata divina humanaque jura non uno calamitatis genere animadvertisse fertur Diana. Fortassis nullam definite, sed omnes promiscue indicat poëta, ut scelerum vindicem Dianam esse demonstret.

143 *His armenta lues &c.* Calamitates, quibus in impios homines animadvertit Diana, quatuor enumerat, luem nempe pecudum, agrorum vastationem, orbitatem liberorum, abortus feminarum.

144 ... *tondent natorum ad busta capillos &c.* Mos fuit veteribus in funere propinquorum atque etiam amicorum comam tondere, et mor-

Longaevi plorantque patres: jacet obruta telis
Vix natos enixa parens ; aut praepete cursu,
Diva, tuos fugiens ictus enititur: ~~ortam~~
~~Vix prolem atra dies leto demergit acerbo~~.
Quos vero arridens placido respexeris ore,
His et fecundis exuberat annus aristis,
Et fetu pecorum: omnigenas his copia pleno
Fundit opes cornu: non his prius aemula stamen
Parca secat, capite albescat quam sparsa senectus.
Nunquam horum vesana domos, quae saepe potentum
Tecta ruit, trepido incessit discordia motu;
Sed domini ~~pacata soror~~ cum conjuge ~~mensam~~
~~Plena mero laribus carchesia libat ad unam~~.
~~Sic vero, Regina, mihi qui junctus amore est,~~
~~Huic faveas~~, ~~faveasque mihi~~; sic carmina curae
Nulla magis mihi sint,quam quae pharetramque lyramq;
Phoebi, Latonaeque sonent connubia; quorum
Inque tuas, Latois, eat pars maxima laudes;
Atque canes, et tela canant currusque volucres,
Conspicuam qui te rapiunt, cum tecta parentis
Alta petens faciles manibus moliris habenas.
Tum reduci primo occurrunt in limine Phoebus

at non
Orta potest recti prole insistere tali.

Soror unanimi [ad] unam
accumbit mensam, dapibusque epulatur opimis
Sic mihi, sic vero mihi
qui junguntur amore,
Omnibus, o Regina, fave;

---

tuis injicere: hinc illud Ovidii in epistol.

Non mihi te licuit lacrymis perfundere justis,
In tua nec tonsas ferre sepulcra comas.

149 *Quos vero arridens &c.* Ut poenis et calamitatibus impios prosequitur, sic paemiis et commodis pios cumulat Diana; tria quae maxima sunt recenset: uberem rerum omnium proventum, vitam longaevam, et pacem domesticam.

156 *Sed domini ~~pacata soror~~ cum conjuge &c.* Singulare Dianae beneficium! Rarissime enim non modo inter socrus et nurus, ut est apud Comicum, sed etiam inter glores et fratrias convenit.

158 ~~*Sic vero, Regina, mihi &c.*~~ Sic mihi, sic vero &c. Poëtae sententia de verbo ad verbum interpretata haec est: *in his* (quibus tu nimirum Diana faves) *sit, quicumque mihi vere est amicus, et sim ipse*, quam, ni fallor, licet paullo aliter expressi, nihil tamen immutasse mihi videor.

166 *Tum reduci &c.* vide quam scite quam eleganter poëta argumenti gravitatem condiat interserens Dianae laudibus lepidam de Herculis ingluvie fabellam.

Mercuriusque tibi: e curru venabula captat
Illas feras alter quas tecum cumque peracta
Caede refers. pulcro Phoebus sed munere fungi
Desiit, Alciden ex quo pater aequus Olympo
Intulit. ille etenim ante fores, num pingue ferarum
Dis referas epulum opperiens immobilis haeret,
Et risu effuso Superos quatit: invida ridet
Ante alios Socrus, ingenti cum corpore taurum
E curru rapit, aut pinguem, pedibusque trementem
Postremis aprum, fictoque haec pectore fatur.
  Infestas age sterne feras, ut te quoque supplex
Instar, Diva, mei, praesentem in rebus egenis
Imploret mortale genus: sine montibus altis
Pascentes capreae leporesque impune vagentur:
Quid capreae, aut lepores meruere? at pinguia vastant
Culta sues, taurique ferunt mortalibus ingens
Exitium: hos igitur letali fige sagitta.
  Sic ait, ingentique feram conamine magnam
Eripit impatiens: Phrygiis sub quercubus artus
Nam licet induerit dios, compressus edendi
Nondum amor; atque hominem vacui jejunia ventris

173 .... *invida ridet ante alios Socrus &c.* Juno nimirum quae socrus fuit Herculis propter Heben filiam Herculi nuptui datam.

177 ..... *ut te quoque supplex &c. ut mortales te auxiliatricem, ut me invocent.* Se Ἀλεξίκακοι, et Σωτῆρα a mortalibus vocari inquit Hercules ob prostratas noxias feras, quales fuere Nemaeus leo, hydra Lernaea, aper Erymanthius etc. nullamque injicit mentionem de domitis a se tyrannis et sceleratis hominibus, quam potissimum ob rem Servatoris nomen adeptus erat. Sed haec *ficto pectore fatur*, ut nimirum Dianam indicat ad grandiores belluas occidendas, quibus voracitatem ipse suam explere possit.

185 ... *Phrygiis sub quercubus artus &c.* in Oeta scilicet monte Trachinis, ubi structo rogo mortale corpus Hercules exussit, atque immortale induit in Deos relatus. Phrygia autem, cujus hic fit mentio, non est regio ita dicta, sed locus in summitate montis Oetae ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πεφρύχθαι τὸν Ἡρακλέα, quod ibi Hercules concrematus sit, ut testatur Steph. de urbibus.

Thiodamanteo quae quondam pascere tauro
Impulit ingluvies, et Divum saeva fatigat.
  Inde jugo Nymphae cervas Amnisides aureo
Abjungunt teneris tergentes corpora palmis,
Laetaque Junonis pingui e tellure metentes
Gramina certatim submittunt, quae Jovis ipsi
Alipedes mandunt. auratas denique pastis
Expediunt situlas, lymphis et dulcibus implent.
Aurea te vero subeuntem tecta parentis
Se prope certatim sedes invitat in altas
Quisque Deûm; tu, Diva, sedes sed proxima Phoebo.
  Interea cum te Nympharum intenta choreis
Agmina lustrabunt, Pharii seu flumina propter

---

188 *Thiodamanteo quae quondam &c.* Herculem ferunt, cum aliquando Driopiam peragraret, et maxima inedia premeretur, forte in regem Thiodamantem bobus terram colentem incidisse, et modicum ab illo cibum petiisse; quod cum ille denegasset, Herculem iratum occiso Thiodamante unum de bobus aratoribus corripuisse, atque integrum devorasse. Vide Apollon. lib. I. Argonaut.

190 . . . *Nymphae cervas Amnisides &c.* Vide supra notam ad v. 17.

192 .. *Junonis pingui e tellure &c.* Ut Jovis praesepia in caelo ponit Pindarus Olymp. Od. XIII. ita Callimachus ad pascenda animalia Junonis prata, e quibus Dianae Nymphas messuisse dicit ὠκύθοον τριπέτηλον *velox natu trifolium*: ego latini carminis difficultate adstrictus verti *laeta gramina*, sententiae magis, quam verbis adhaerens.

199 *Interea cum te &c.* Locus in Callimacho paullo difficilior; nam septimum ad usque versum producitur sensus, quem ita colliges: interea boves mei ne agrum novalem pro mercede secent sub alieno aratore, quando Nymphae te choro circumdederint ad fontes Inopi, aut ad Pitanen etc. Id autem dicit poëta, nolle se cuipiam locare boves suos ad diurnum opus arandum, propterea quod, etsi iidem cum aetate, cum robore validissimi sint, non possent tamen non defessi et viribus exhausti redire ab aratro ob productos a sole dies, qui, dum Nymphae in Dianae honorem chorum agitant, cursum sistit, ut eas contempletur, ut infra in v. 212., et 213.

200 . . . *Pharii seu flumina propter Inopi &c.* Inopus Deli insulae fluvius, quem, cum eodem modo quo Nilus, ac pariter cum eo decrescat augeaturque, occulto meatu ex Nilo ad se venire credebant Deli incolae. Hinc Aegyptius a poëta vocatur. De hac, quam cum Nilo Aegyptio Inopus habet, proprietate, Plinius lib. II. cap., 103.

Inopi, seu qua Pitane tibi dedita surgit,
Seu Limnas, seu propter Alas Araphenidas, oris
Quae quondam e Scythicis fugienti Taurica sacra
Templum ingens posuere tibi; non audeat ullus
Tunc tauris versare meis alienus arator
Jugera, mercedem non etsi spondeat amplam:
Nam secus aegra trahent vix genua, fimumque jacebunt
Languenti cervice super; stet robore quamvis
Aetas firma suo, nono nec grandior anno;
Et cornu juga panda trahant, qui scilicet alto

et Callimachus idem apertius in hymno in Delum ad v. 247.

201 . . . *ſeu qua Pitane &c.* Urbs Laconiae, ubi sacra Dianae Orthiae, seu potius Orthosiae celebrata perhibet Pausan. in Lacon.

202 *Seu Limnas, ſeu propter Alas &c.* Limnae, vicus inter Laconici, et Messeniaci agri fines, in quo Dianae Limnatidis templum fuisse commune Doriensibus, Messeniis, et Lacedaemoniis auctor est Pausan. in Lacon. et Messeniac. *Alas* autem duos fuisse pagos in Attica dicit Scholiastes; Ἁλαὶ nempe Ἀραφηνίδες, et Ἁλαὶ Αἰξωνίδες, ita a duobus viris Atheniensibus dictas: Αἰξωνίδες ad tribum Cecropidem, Ἀραφηνίδες ad Aegidem pertinebant.

203 *Quae quondam e Scythicis &c.* Fuerunt Tauri Scythiae Europaeae populi, a quibus dicta est Chersonesus Taurica, quae nunc *Crimea*. Eo Diana transtulit Iphigeniam, cum ejus jam jam immolandae in Aulide miserta esset. Ibi a Thoante rege ejusdem Deae sacris praefecta est, in quibus mactari solebant quicumque illuc advenissent. Quo cum postea Orestes Iphigeniae frater a furiis agitatus appulisset, et ab incolis captus immolandus jam esset, a sorore agnitus et liberatus est: non multo post occiso Thoante cum sorore aufugit, ablato secum Dianae simulacro, quod Alas Atticae pagum transtulit, atque in templo Dianae Tauricae extructo collocavit. De hoc simulacro e Scythia advecto, temploque Alis Atticae aedificato insignis est locus Euripidis in Iphigen. Taur. v. 1450., quem ita reddit Spanhemius.

Est quidam locus in extremis Atticae
Finibus, vicinus littori Carystio
Sacer, quem meus populus nunc vocat ALAS.
Illic extructo templo, colloca statuam
Cognominem TAURICAE (Dianae) *et tuorum laborum.*

208 . . . *Stet robore quamvis &c.* licet hi boves *Tymphaici* sint, inquit poëta (hoc est ex Epiri regione Τυμφαία appellata, seu Στυμφαία, ut alii legunt, ubi boves robore aliis praecellentes), nec novem annis majores, qua scilicet aetate validissimi esse solent.

210 *Et cornu juga panda trahant &c.* Ita quidem si legas κυρ-

Ante valent omnes terram proscindere sulco.
Ipse etenim, sol ipse chorum cum prospicit illum
Sistit equos, solito et se tardior abdit in undis.
Insula jam tibi quae potior ? quo culmine gaudes ?
Quo portu ? quave urbe magis ? quam diligis unam
Prae cunctis Nympham ? venatu Heroides acri
Quae tecum invigilant ? memora mihi, Diva; docebo
Ipse alios. Doliche tibi carior insula; Pergae
Urbs magis arridet; montes gratissimus inter
Taygetus, totoque Euripi ex aequore portus.
Ast jaculo cervas gaudentem figere certo
Ante alias Britomartin amas Gortynida Nymphas;
Qua miseram visa concepit pectore flammam
Demens, et Cretae lustravit culmina Minos.
Illa fugit, jamque hirsutae sub tegmine quercus
Delituit, jam limosa caput abdidit ulva.

ἑλκεις, quod Scholiastes interpretatur, δια το τοις κερασιν ἑλκειν το αροτρον: si vero legas κεραελκεις, hic erit poëtae sensus: *et valido praestent cornu.*

212 *Ipse etenim sol &c.* Haud insolita poëtis licentia hoc dicit Callimachus; solem nempe voluptate captum diutius inspiciendi Nympharum chorum, cursum sistere, diesque producere.

214 *Insula jam tibi &c.* Locos et urbes enumerat, in quibus Diana potissimum culta, ac Nymphas, quarum consuetudine maxime delectabatur.

218 ... *Doliche tibi carior &c.* *Doliche* insula, una Sporadum, Macris antea a longitudine dicta, postea Icarus, de qua Plin. lib. IV. cap. 12. cara ante alias insulas Dianae, quod, ut apud Periegetem aliosque, una cum Cycladibus Delum circumdedit. *Perga* Pamphyliae metropolis, a quo Diana Pergaea, sive Pergasia. *Taygetus* Laconiae mons Spartae et Mycenis imminens, ideo a Diana ceteris montibus praelatus, quia capreis, apris, cervisque abundat, ut inquit Pausan. in Lacon. *Euripus* fretum angustum inter Euboeam, et Boeotiam; porro in utriusque ripae, Boeotiae nempe et Euboeae, portubus Dianae cultus vigebat. Vide Pausan. lib. IX. et Strabon. lib. X.

222 *Ante alias Britomartin &c.* Sequitur enumeratio Nympharum, quas praecipue amavit Diana: fuerunt autem Britomartis, Cyrene, Procris, Anticlea, et Atalanta. Britomartin poëta vocat Gortynida, hoc est Cretensem a Gortyna urbe Cretae. Fabulam Minois Britomartin prae amore insequentis, ac tandem cogentis, ut in mare se praecipitem daret, exponit etiam Virgil. in Ciri.

At menses per saxa novem, saltusque profundos
Insequitur vesanus amans; urgere nec unquam
Desiit, ex alto donec jam jamque tenenda
In mare desiluit scopulo: excepere cadentem
Retia piscantum, salvamque ad littora ducunt.
Dictynnam ex illo Nympham dixere Cydones,
Dictaeumque jugum, unde altum se jecit in aequor:
Tum posuere aras; lentisco et sacra quotannis,
Aut pinu peragunt redimiti tempora; myrtum
Attrectare nefas: peplo fugientis adhaesit
Nam myrtus, meritas et virgo exarsit in iras.
Dein Cretes, o Diva ferens pulcherrima lucem,

---

232 *Dictynnam ex illo &c.* quod nempe εις δικτυα, seu *in retia*, quae illam servarunt, opportune inciderit; ideo et Britomartin Dictynnam, et montem, unde se jecit, Dictaeum Cydones vocitarunt; atque inde sollemnibus sacris Nympham coluerunt. Strabo poëtam nostrum redarguit, quod longe a Dictaeo monte Cydones degerent, alii absolvunt, et pro Cydonibus Cretenses in genere intellexisse putant; quos vide si cupis in commentario Spanhemii ad hunc locum. Meum non est Criticum agere, sed poëtae sententiam exponere, quae verane sit an falsa, nil moror.

234 .... *lentisco et sacra quotannis &c.* Cur in sacris Dictynnae serta e lentisco adhiberent Cydonii, nulla alia Spanhemio occurrit ratio, nisi quod, sicut in aliis insulis maris Mediterranei, ita etiam in Creta frequens proveniret lentiscus. Pinea vero corona virginitatis symbolum fuisse videtur, cum apud Achillem Tatium lib. VI. legatur, virgines periculum virginitatis facturas, coronari e pinu solitas fuisse; et pinus arbor *pura* vocetur ab Ovid. Fast. lib. II. v. 25. Cur denique a myrto abstinuisse hic dicantur Cydonii in Dictynnae sacris, rationem affert continuo idem Callimachus. Haecne autem vere fuerit ratio, an alia potius, quod nempe myrtus, cum Veneri sacra sit, invisa esse debet Dictynnae, ut placet A. Fabri, et Spanhemio, nihil id ad Callimachum explicandum refert, qui jure poëtarum utens potuit rationem illam comminisci ad narrationem suam exornandam.

238 ... *o Diva ferens pulcherrima lucem &c.* Vide quae de Diana Lucifera adnotavimus supra ad v. 11. Hic a poëta Diana vocatur *Upis*. quod unum est ex Dianae cognominibus vel ab Upi puella Hyperborea de qua infra in hymno in Delum ad v. 356. vel παρα το οπιζεσθαι τας τικτουσας, quod parientes respiciat. Plura vide apud Spanhemium.

Fecerunt etiam Nympha tibi nomen ab illa.
Cyrenem post hanc voluisti, Diva, sodalem
Esse tibi Hypsiden; binos venatibus acres
Cui das ipsa canes, meritae quibus illa sepulcrum
Propter Iolciacum peperit sibi proemia palmae.
Tum Deionidae flavos per colla capillos
Uxorem Cephali spargentem Procrin, et ipsis
Quam tibi non oculis caram minus Anticleam
Esse ferunt, tecum venatu claudere silvas,
Diva, jubes. validos illis suspendere primum
Mos fuit ex humeris arcus, levibusque pharetram.

---

239 *Fecerunt etiam. &c.* A Nympha illa Britomartide Cretenses vocarunt Dianam non Britomartida quidem, ut interpretatur Frischlinus, licet etiam teste Solino cap. 11. (alii 16.) appellata fuerit hoc nomine, quod Cretensium lingua *dulcem puellam* sonat, sed Dictynnam. De hac enim postrema Nymphae illius appellatione paullo supra agit Callimachus; et Dictynnam a Britomartide Dictynna appellatam esse Dianam aliunde etiam constat. Inde Virgilius in Ciri cum de Britomartidos fuga et casu egisset, addit:

. . . alii, quo notior esses.
Dictynnam dixere tuo de nomine lunam.

240 *Cyrenem post hanc. &c.* De hac Cyrene Nympha Hypsei filia abunde actum jam supra in hymno in Apoll. ad v. 102.

242 . . . *sepulcrum propter Iolciacum &c.* prope sepulcrum Peliae cujusdam regis, qui ἐν εὐρυχόρῳ Ἰωλκῷ Ναῖε πολύῤῥηνος, *in spatiosa Iolco habitabat opulentus.* (Hom. Odyss. lib. XI. 255.) Fuit autem Iolcos Magnesiae in Thessalia civitas, ad radices montis Pelii, ubi prope tumulum Peliae hujus Iolci regis Cyrene nympha ope duorum canum venaticorum, quos a Diana acceperat, insignem de leone victoriam reportavit. Cave confundas hanc Cyrenes in Thessalia venationem cum altera in Libya, ubi *straverat Eurypyli vastantem armenta leonem*; de qua venatione actum est supra in hymno in Apoll. ad v. 102. Haec in Thessalia prior, cum nempe rapta ab Apolline fuit; illa in Libya posterior, cum civitati a Batto aedificatae nomen fecit.

244 *Tum Deionidae &c.* Cephali pater Deioneus Euryti Oechaliae regis filius teste Plutarcho in Thes. De Procride, quae propter pudicitiam suam a marito Cephalo tentatam, *genus omne perosa virorum montibus errabat, studiis operata Dianae*; vide Ovid. Metam. lib. VII.

246 . . . *non oculis caram minus Anticleam &c.* Anticlea mater Ulyssis fuit, filia Dioclis, vel, ut Homero placet, Autolyci, Dianae et venationum studiosa Odyss. lib. XI.

Confertam jaculis. in caedes usque ferarum
Nudae humeros ibant dextros, nudaeque papillam.
Iasii nec non prolem Arcasidae Atalantam
Caede suum insignem dilexti et praepete cursu;
Quam catulis agitare feras, et figere certa
Ipsa doces dextra. non illam lecta furentem
Per campos Calydonis aprum prosternere pubes
Sprevit; in Arcadiam palmae monumenta superbae
Venere, et magnis horrentia dentibus ora
Servat adhuc. non Hylaeum Rhoecumque protervum,

---

251 *Nudae humeros ibant &c.* Qualis vulgo Dianae habitus in statuis et nummis antiquis apparet, cum exerto nempe humero dextro, et nuda insuper dextra mamma. Ad hunc exertum Dianae humerum respexit Claudianus de Nupt. Honor. et Mar. v. 290. ubi in hujus Augustae sponsae laudes excurrens ait,

Aurorae vincis digitos humerosque Dianae.

et in II.cons.Stil.v.243. ubi de Nymphis Dianae comitibus,

. . . *veniunt humeros et brachia nudae.*

252 *Iasii nec non prolem &c.* Mire confusa et perturbata sunt omnia, quae de Atalanta seu Arcadica, seu Argiva, seu Boeotica veteres scriptores memorant. Vide Mythologos et Criticos; adi praesertim Muretum ad Propert. Hic poëta Atalantam vocat Iasii Arcadis filiam, pernicissimi cursus puellam, eamdemque pulcherrimam, de qua *nec dicere posses, laude pedum an forma praestantior esset.* Ad venationem apri Calydonii a Meleagro vocata fuit cum reliqua Achaiae juventute, eumque prima sagitta vulneravit: ferae, quam Meleager occidit, caput sibi ab eodem Meleagro dono datum in Arcadiam retulit. Fabulam fuse descriptam vide apud Ovid.Metam.l.VIII. Nota vocem *Arcasidae* Ἀρκασίδαο pro Arcadidae Ἀρκαδίδαο euphoniae gratia, ut notat Stephanus in Ἀρκας.

258 . . . *horrentia dentibus ora servat adhuc.* Tradit Pausan. l.VIII. apud Arcades Tegeatas pellem hujus apri setis nudatam, ac jam prae senio putrescentem in templo Minervae Aleae suo adhuc aevo repositam. Idem refert apud eosdem Arcades apri Calydonii dentes adservatos, ac deinde ab Augusto Romam delatos; e quibus unum effractum, alterum in Liberi Patris aede servatum.

259 . . . *non Hylaeum Rhoecumque protervum &c.* Centauros fuisse ait Graecus interpres, qui Atalantae in Arcadia vim inferre parantes, ab eadem interfecti in monte Maenalo fuerunt. Callimacho consentit Aelianus V.H. lib.XIII. cap.I. et Apollod. lib.III. cap.9. Virgilius tamen dissentit, qui Georg. lib.II. v. 455. et seqq. eosdem memorat a Baccho interemptos in cruento Centaurorum et Lapitharum convivio.

Infensos illi quamvis, tellure sub ima
Dempturos meritas torquenti spicula Nymphae
Crediderim laudes; telis confossa vetarent
Ilia virgineis, et Maenala sparsa cruore.
O domibus templisque potens, Latonia, salve;
Advena Mileti salve: nam te duce primum
Magna locaturus Mileti moenia Neleus
Cecropio classem solvit de littore. salve
Chesias, Imbrasie salve, quam sedibus alte
Subnixam in primis stellans miratur Olympus.
Ipse tibi, Argivis esset quo tutius aequor
Puppibus, ipse suae clavum tibi navis Atrides

---

262 ... *telis confossa vetarent &c.* sensus est: neque vero Hylaeus et Rhoecus quamvis Atalantae infesti, eidem tamen in inferis obtrectare auderent, credo, ejusque sagittandi peritiam calumniari: revincerent enim eos, mendaciique redarguerent eorum ipsorum ilia ab Atalanta sagittis confossa, et Maenalus mons eorum ipsorum sanguine respersus.

265 *Advena Mileti &c.* Μιλητῳ ἐπιδημε: alii vertunt, *quae Miletum habitas*: Spanhemius, *Mileti praesens*: placet interpretatio A. Fabri et Ernesti, *Mileti advena*, quae Miletum commigrasti, quod sequentia desiderant. De deducta Miletum a Neleo Atheniensi Codri filio colonia haud obscura apud veteres mentio. Vide Herodot. lib. IX. cap. 96. Strabon. lib. XIV. et alios. Quod vero hic addit poëta de Diana duce illius deductae a Neleo Miletum coloniae, id praeter Plutarch. de virtut. Mulier. confirmat etiam Polyaenus Stratag. lib. VIII. cap. 35., qui festum Dianae sacrum apud Milesios sollemne fuisse, et *Neleida* appellatum memorat.

268 *Chesias, Imbrasie &c.* a Chesio promontorio, et Imbraso fluvio Sami insulae, ubi culta fuit Diana. Vide Lilium Gyraldum Syntagm. XII.

Ibid .... *sedibus alte subnixam in primis &c.* πρωτοθρονον; Deam primae sedis, hoc est primi ordinis, seu unam ex Diis Consentibus, qui nimirum in consilium Jovis adhibebantur, et ejus adsessores erant, quos Cic. Tusc. I. vocat Deos majorum gentium. Hos fuisse sex mares, et sex feminas constat, quos omnes enumerat Ennius apud Apulejum de Deo Socratis:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres,
Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus,
Vulcanus, Apollo.

271 .... *clavum tibi navis Atrides &c.* Solita id genus donaria in Deorum fanis reponi, vidimus etiam supra ad v. 258. ubi de servatis in Arcadia apri Calydonii dentibus.

Fert ultro, templique tholo suspendit ab alto;
Cum faciles repetenti Helenam Rhamnusida classi
In Trojam ventos cursumque irata negares.
Bina tibi et solido posuit de marmore Proetus
Templa: *Puellarum Divae* dicat altera, natas
Quod per lustra suas et inhospita saxa vagantes
In patriam revocas: Lussis stant altera, *Divae*
Quae *Placidae* dicat ille; tuo quod numine natae
Lymphatam exuerint mentem moresque ferinos.
~~Te quoque gaudentes venerantur Amazones armis~~,
~~Fagineoque Ephesi posuere in littore signum~~
~~Sub trunco~~, atque Hippo persolvit sacra sacerdos.
~~Ast aliae illisis plausere tripudia peltis~~

Nec tibi non Ephesi prope littus Amazones armis
Gaudentes posuere arte quae tegmine signum
Sub fagi,
Ast turba illisis saltus dat cetera peltis

273 ... *repetenti Helenam Rhamnusida &c.* Helena *Rhamnusis*, inquit Graecus interpres, dicta a Rhamnunte Atticae pago, ubi Juppiter cum Nemesi (quae etiam Rhamnusis, et Rhamnusia virgo, ut apud Catullum) concubuit, quae ovum inde conceptum peperit: ex hoc ovo a Leda postea invento et foto nati sunt Dioscuri, et Helena.

275 *Bina tibi &c.* Proetus Argivorum rex fuit, Abantis filius, et Acrisii frater, cujus filias furore correptas, et per montes ferarum ritu vagantes Melampus Amythaonis filius apud Lussos Arcadiae vicum juxta fontem Clitorium insania liberavit, et in Dianae templo lustravit: quo beneficio accepto, pater duo templa, unum in vertice montis prope Clitorios Dianae Κόρῃ, seu *Puellari* extruxit, quod vagantes puellas filias suas in patriam revocarit, alterum Lussis Dianae Ἡμέρῃ, hoc est *Mansuetae*, quod furentes antea filias suas mansuetas reddiderit. Proetidum fabulam vide apud Ovid. Metam. lib. xv. Eamdem attigit etiam Virg. Ecl. vi. v. 48.

Praetides implerunt falsis mugitibus auras.

281 ~~*Te quoque gaudentes*~~ *&c.* Nec tibi Ab Amazonibus conditam esse Ephesum nobilissimam Asiae minoris urbem prope oram Caystri fluvii auctor est Justinus lib. II. cap. 4. Templum etiam Dianae Ephesiae toto orbe celebratissimum, interque septem mundi miracula numeratum ab iisdem aedificatum esse plurimi auctores tradunt, non vero Callimachus, ut perperam hoc loco Frischlinus. Is enim simulacrum dumtaxat Dianae erectum in littore Ephesino sub fagi trunco ab Amazonibus tradit: infra vero mentionem de templo faciens, in eo quidem loco, ubi signum illud erectum ab Amazonibus fuit, sed non ab iisdem edificatum affirmat.

283 ... *Hippo persolvit sacra &c.* una ex Amazonibus, quae prima Dianae sacerdotio perfuncta est.

284 ~~*Ast aliae*~~ *illisis &c.* Sacrum Ast turba

Primum, dein lato ~~festivas~~ orbe choreas, T festas agit
Dum tenuem, certa gressus ut lege moverent,
Garrula disparibus sonitum dat fistula cannis.
Hinnulei nondum nam cervis noxia Pallas
Ossa terebrarat per rara foramina; Sardes
Interea sonitu, Berecynthiaque arva resultant:
Illae autem pedibusque strepunt resonisque pharetris.
Condita dein circa moles pulcherrima signum,
Purpureo nusquam similem cui Phoebus ab ortu
Aspiciet; cedat facile cui Delphica Pytho.
Lygdamis hanc olim vesana percitus ira

---

faciente Hippone ceterae Amazones primum pyrrhicham saltarunt, de quo saltationis genere vide quae dicta sunt in hymno in Jovem ad v.56. deinde choreas in orbem peregerunt, seu militarem primum, deinde pacificam saltationem. De his duabus saltationis apud veteres speciebus videndus est Plato de Legib. lib. VII.

288 ... *cervis noxia Pallas &c.* A Minerva tibiam primum inventam esse, eamque ex hinnulorum cervorumque ossibus paratam, unde hic dicitur cervis noxia, vetus est poëtarum opinio. Vide Ovid. Lib. VI. Fast.

289 ... *Sardes interea &c.* Sardes nota urbs Lydiae, regia olim Croesi, in quam, licet Epheso distet aliquot dierum intervallo, acutum hunc fistularum sonum pervenisse ευξηπικως, ut poëtis est mos, dicit Callimachus, quemadmodum supra in hoc hymno dixit Cyclopum incudem in Lipara insula tundentium strepitu personuisse non Aetnam modo et Siciliam reliquam, sed Italiam insuper et Corsicam. Berecynthus mons inter Lydiam et Phrygiam, Cybelis Deûm matris cultu notissimus. Steph. Plin. lib. XVI. et Strabo in fine XII.

292 *Condita dein circa &c.* Quis nobilissimum hoc Dianae Ephesiae templum condiderit certatur inter auctores, et adhuc sub judice lis est nunquam fortasse dirimenda, quod templum illud saepius vastatum, dirutum et incensum ab aliis postea atque ab aliis rursum erectum instauratumque fuit. Hic Callimachus templi locum, non conditorem indicat, ut supra adnotavimus; extructumque esse dicit, ubi Amazones Dianae simulacrum sub fago erexerunt. Hujus autem templi, quod Dionys. Alex. v. 829. appellat *venerandum miraculum*, Callimachus affirmat magnificentius fuisse ipso Apollinis Delphici templo (de quo vide notam ad v.40. hymni in Apoll.), descriptionem pete ex Plinio lib. XXXVI. c. 14.

295 *Lygdamis hanc olim &c.* Ly Quo duce Cimmerios Ioniam et Asiam minorem invasisse testatur Strabo lib. I. et Herodot. lib. I. et IV. Sunt autem Cimmerii populi Septen-

Eruere aggressus; quam multas, gurgite ab alto
Cum ruit in terram, turbo subjectat arenas,
Cimmerios tot in arma vocat, pascuntur equino
Qui lacte, Inachiaeque colunt freta nigra juvencae:
Ah miserum quonam Regem malus impulit error!
T. potuere haud Non ipse in Scythiam ~~potuit, non~~ plaustra reverti,
Millia quot demens in prata Caystria vexit:
Namque Ephesus sat tuta tuis, Diana, sagittis.
Salve Munichie, o iterum, veneranda Pheraea,
Salve, quae vigili tutaris numine portus.
Ne quis Dianae meritos detrectet honores;
Non etenim ob spretas Oeneus Latoidos aras
Pulcra domi subiit certamina. nemo sagittis,
Cervorumque illi venatu certet: Atridae

---

trionales ad Bosphorum Cimmerium ponti Euxini fretum habitantes, apud quos, quod eorum regio caliginosa est et densis tenebris opaca, *ignavi domus et penetralia somni*. Ovid. Metam. lib. XI. v. 593.

298 . . . *pascuntur equino qui lacte &c.* ἱππημολγοι. Tradit Herodot. initio lib. IV. Scythas, qui Cimmeriorum regionem tenuerunt, et pro Cimmeriis saepe apud poëtas sumuntur, et lacte vivere, et ex equabus illud mulgere, modum exponens quo gentes istae in mulgendis equabus utuntur.

299 . . . *Inachiaeque colunt freta nigra juvencae*. Notatio Bosphori Cimmerii, cujus descriptionem pete ex Plinio lib. VI. cap. 6. nomen accepit ab Io Inachi filia, quae in bovem mutata fretum illud trajecit, priusquam in Aegyptum perveniret: quamquam omnia angusta freta dici *Bosporos* docent eruditi Apollonii Rh. enarratores ad lib. I. v. 168. De Io a Jove in vaccam mutata vide Ovid. I. Metam. et Aeschylum in Prometh.

302 . . . . *in prata Caystria &c.* in agrum nempe Ephesium, ubi Caystrus Lydiae fluvius in sinum Ionium influit.

304 *Salve Munichie &c.* Diana ita dicta a Munichia Atticae portu, quem cum Pyraeo altero Athenarum portu conjunctum esse docet Strabo lib. IX. *Pheraea* a Pheris civitate Thessaliae. Dianam esse *portuum inspectricem* vidimus supra ad v. 44.

307 . . . . *ob spretas Oeneus &c.* Calydonis rex in Aetolia; qui cum Diis omnibus, excepta Diana, primitias frugum obtulisset, irata Dea aprum immisit, a quo vastatus est ager Calydonius, donec a Meleagro Oenei filio occideretur. Ovid. Metam. lib. VIII.

309 . . . *Atridae constitit haud olim &c.* Agamemnon ob occisum in Aulide sacrum Dianae cervum non levi pretio Deae iram placa-

Constitit haud olim parvis audacia poenis.
Ambiat haud ullus connubia Virginis: Otum
Non equidem faustos, non Oariona hymenaeos
Affectasse reor. sed nec sollemnibus aras
Abneget ad Divae quisquam indulgere choreis;
Abnuit infelix, at non sine fletibus Hippo.
Salve, o Diva potens, nostrosque bona excipe cantus.

---

vit, filiam Iphigeniam immolare coactus. Rem fuse narrat Dictys Cretensis lib. I. vide etiam Lucretium lib.I. et alios passim poëtas.

311 . . . *Otum non equidem &c.* Otus et Ephialtes Aloei et Iphimediae filii ob tentatam Dianam in Naxo insula interfecti sunt. Vide Pindarum Pyth. od. 4. Apollonius Rh. I. Argon. ab Apolline peremptos refert propter linguae maledicae in Deos petulantiam: Virgilius caesos in pugna Gigantum lib. VI. Aen. *Hic et Aloidas geminos &c.* De ortu Oarionis, eoque post mortem in caelo constituto juxta sidus Tauri vide Ovid. lib. V. Fast. et Hygin. fab. 195. et Poët. Astron. lib. II. cap. 26., et 34. Iis, qui volunt occisum fuisse a Diana ipsa, cum ei vim inferre aggrederetur, subscribit poëta noster hoc loco, et Horat. lib. III. od. 4. *integrae*, inquiens, *tentator Orion Dianae virginea domitus sagitta*, aliique. A Callimacho vocatur Ὠαρίων cum epenthesi litterae α, pro Ὠρίων: ita etiam Catullus in coma Berenices ultimo versu:
Proximus Hydrochoi fulgeat Oarion.

315. *Abnuit infelix &c.* De Hippone dictum supra ad v. 283.

HYMNUS IN DELUM.

ARGUMENTUM

Continet hic quartus hymnus laudes insulae Deli, quae una Cycladum est, patria Apollinis et Dianae. Hanc prius oras et littora circum errantem tandem Apollinis beneficio immobilem factam narrat Poëta, quod Latonam gravidam et ab universa Peloponneso, Achaia, Thessalia, Corcyra, aliisque locis, et insulis compluribus Junonis opera expulsam exceperit. In quibus Latonae erroribus, laboribusque exponendis, qui ad laudem hospitalitatis Delo conciliandam plurimum faciunt, maximam hymni partem impendit. Facto deinde ad insulam reditu eam magnifice laudat ab admirandis Apollinis γενέθλιοις, *atque a singulari religione, quae non modo ab universa Graecia, sed etiam ab ultimis terrarum gentibus colebatur.*

Nam quibus infantis, mea mens, cunabula Phoebi
Carminibus, sacram quo dices tempore Delum?
Scilicet Aegaeum quas ambit Cyclades aequor
Sacrae omnes, dignae sustolli versibus omnes;
Delus at a Musis primos sibi poscit honores,
Carminis auctorem quod prima in luminis oras
Abluit exortum, mollique involvit amictu,
Agnovitque Deum: ceu, qui fontem et juga Pimplae
Praetereat, vatem Aonides odere sorores.

1 . . . . . *mea mens &c.* ω θυμε, sic etiam Pindarus saepe utitur hoc exordio, φιλον ητορ.

8 . . . *fontem et juga Pimplae &c.* Pimpla, seu Pimplea mons Macedoniae a Thracibus olim possessus, ad cujus radices ſons Musis sacer. Strabo lib. IX. Geogr.

Sic Phoebus capiunt quemcumque oblivia Deli.
Non indicta meis igitur nunc Delus abibit
Versibus; ut vatem, cui tam nutrix sua cordi,
Commendet, gratisque aspiret Cynthius orsis.
Illa mari medio inculta, atque obnoxia ventis,
Trita minus se tollit equis quam pervia mergis;
Quam circum tumidis immotam volvitur undis
Aequor, et Icaria spumant aspergine cautes:
Piscantes ideo tuta in statione carinas,
Retiaque hac reduces emenso ex aequore condunt.
At nulla invideat primos huic laudis honores
Insula; nam vitream quoties Titanidis aulam

13 . . . . *Cynthius orsis &c.* Apollo Cynthius a Cyntho Deli insulae monte dictus, de quo Strabo lib. x.

14 *Illa mari medio &c.* Deli χωρογραφίᾳ, quam imitatus est Virg. *Sacra mari medio colitur gratissima tellus &c.* Aen. III. v. 73. et seqq. vocat autem Delum poëta ἄτροπον, quod alii explicant immotam, alii incultam; placet haec posterior explicatio, cum paullo infra de ejus immobilitate videatur loqui, ubi dicit Πόντῳ ἐνεστήρικται, *in ponto stat, stabilita est*, atque aliunde constet incultam esse hanc insulam, ut ostendit Callimachus clarius infra ad v. 320.

15 *Trita minus se tollit equis &c.* Num quia aves marinae facilius eo pervenirent quam equi, qui non nisi navibus asportari illuc poterant? Ita interpres quidam, sed inepte meo judicio: hoc enim commune est omnibus insulis, nec habet quidquam in se quod adnotatione sit dignum. Dixerim potius hoc a poëta in Deli descriptione adnotatum, quod esset inculta, ac proinde equis pascendis minus apta.

17 . . . *Icaria spumant aspergine cautes. &c.* Mare Icarium, cui ab Icaro Daedali filio nomen factum fabulantur poëtae, illud esse docet Plin. lib. IV. cap. II. in fin., quod est inter Samum et Myconum: nomen accepisse videtur ab Icaria, quam alluit, parva maris Aegaei insula.

18 *Piscantes ideo &c.* Versus Callimachi, Τῷ σφε &c. *Ideo illam piscatores marivagi habitant*: ideo nempe, ni fallor, vel quia non amplius erratica, ut ante, sed immota erat; vel quia cum inculta esset, piscatoribus magis quam agri cultoribus habitabatur.

20 *At nulla invideat &c.* Collatione Delum laudat, quam omnium insularum praestantissimam esse affirmat.

21 . . . *Titanidis aulam &c.* Tethys filia Caeli et Vestae, seu Telluris Titania dicta a Callimacho, quod soror esset Titanis, sicuti etiam ab Ovid. Fast. V. v. 81.

Tethyos, Oceanique petunt longo ordine, cunctas
Anteït in denso veluti dux agmine Delus:
Non humilis quam pone subit Phoenicia Cyrnos,
Sardiniaeque ferax tellus, et Abantia sedes
Ellopidûm Macris, nec non, sibi prima natanti
Quod facilem e tumidis appulsum praebuit undis,
Aurea praesenti quam servat numine Cypris.
Scilicet hae validis munitae turribus; uno
Sed Phoebo, quo non munimen fortius ullum,
Tuta satis Delus: murorum immania saxa
Strymonio ingentem Borea superante ruinam
Saepe trahunt; Deus at manet aeternumque manebit.
Tantus Dele tuis defensor contigit oris!

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn.
Metonymice ponitur pro mari, ut etiam Oceanus ejus frater simul et conjux. Dionysi Strocchius in sua hujus hymni italica interpretatione ingeniose notat miram quamdam poëtae artem, qui in Tethyos Oceanique regiam insulas se conferre consulto fingit, ut nempe ad regionum Latonam fugientium descriptionem legentium animos praeparet.

24 .... *Phoenicia Cyrnos &c.* Corsica insula maris Ligustici, quam a Carthaginiensibus, qui ex Phoenicia oriundi erant, unde Poeni et Punici dicti, inhabitatam olim fuisse aeque ac vicinam Sardiniam, ex Herodoto, Polybio, Floro, aliisque scriptoribus docet Bochartus lib. I. cap. 36. de Colon. Phoen.

25 .... *Abantia sedes &c.* Euboea insula maris Aegaei, cui *Macridi* nomen factum ab Abantibus observant eruditi Apollonii enarratores ad lib. IV. v. 1175. Ita vero dictam, quod μακρὰ, seu longa esset, antiqui Geographi docent; inter quos Strabo lib. X. addit Ellopiam quoque dictam esse ab Ellope filio Ionis.

26 .... *sibi prima natanti &c.* Notatio Cypri insulae maris Mediterranei, quam Venus tutatur, propterea quod sibi concha advectae facilem e mari exscensionem praebuit. Potest etiam intelligi Cytherorum maris Aegaei insula, cum utrique insulae Veneris natales, seu primus e mari in alterutram appulsus vulgo tribui soleat.

30 ... *quo non munimen fortius &c.* Pulcherrima γνώμη, qua divinae tutelae utilitatem demonstrat exemplo Deli, quae non muris ac turribus, ut aliae insulae, sed sola loci religione et Apollinis praesidio tuta ac secura habebatur.

32 *Strymonio .... Borea &c.* hoc est Thrace, a Strymone Thraciae fluvio. Notum autem Thraciam habitam olim ventorum habitaculum, ut ea de re loquuntur veteres Critici ad Apoll. lib. I. v. 820.

47 Ast, quibus ad caelum sueti te tollere vates,
35 multiplices quaenam laudes tibi gratior inter?

~~Multiplices sed quae laudes tibi gratior inter,~~
~~Dic age, quem tibi intexam de flore coronam?~~
An referam, excusam ut quondam Telchinibus hastam
Neptunus trifidam in montes compegerit, imo
Et vulsos fundo in medium provolverit aequor?
Horum ille, ut patriae abjicerent telluris amorem,
Oceano reliquos firmis radicibus alto
Defixit; te, Dele, tamen vis nulla revinxit,
Et dedit aequoreas errantem innare per undas.
Asteriae primum tibi nomen: nempe serenam

37 *An referam, excusam &c.* Alludit ad insularum saltem quarumdam originem, quas ex motu terrae et provolutis in mare montibus ortas scriptores veteres docuerunt. Ita Plinius lib. II. cap. 88. *Namque et hoc modo insulas rerum natura fecit. avellit Siciliam Italiae, Cyprum Syriae &c.* De Sicilia ab Italia avulsa vide Virg. Aen. III. v. 414. et seqq. Quam veterum opinionem poëtice exornat Callimachus tribuens Neptuno montes tridente suo concutiendi facultatem. Hasta trifida est Neptuni tridentis, seu fuscinae periphrasis: dicit autem excusam a Telchinibus, qui fuerunt fabri praestantissimi vel Rhodii, vel Cretenses, vel Cyprii, vel Achaei; primique, ut refert Strabo lib. XIV., ferrum et aes fabricasse feruntur. E mari ortos esse docet Diodorus lib. V. quare opportune Neptuno tridentem eos fabricasse fingit poëta. Quod vero ad nominis originem spectat, ita a Phoenicia, seu Hebraea voce quae *incantare* significat, appellatos esse auctor est Bocharius de Colon. Phoen. lib. I. cap. 7., cum eosdem magos, seu praestigiatores insignes habitos olim fuisse constet.

43 *Et dedit aequoreas &c.* Delum vetustissimis temporibus mobilem fuisse passim veteres scriptores; neque Delum dumtaxat, sed etiam alias insulas. Ita Aeoliam natantem dicit Homerus Odyss. lib. X. v. 3. quam Aristarchus in notis huic nostrae Delo comparat. Ita etiam Plinius lib. II. cap. 95. quasdam insulas semper fluctuare affirmat, nominatim autem Delum lib. IV. cap. 12.

44 *Asteriae primum tibi nomen &c.* Solinus Polyhist. cap. 17. *eadem*, inquit, *Delus et Ortygia, quae clarissima est in Cycladum numero, multifarie traditur: nunc Asterie a cultura Apollinis, nunc a venantibus Lagia, vel Cynthus. Pyrpole etiam, quoniam ignitabula ibi, et ignis inventa sunt.* Callimachus hoc nomen ab Asterie Nympha (quae Coei, et Phoebae filia, soror Latonae fuit) Delo factum esse tradit, quod ea insanum Jovis amorem fugiens, caelitus in mare se jecerit, atque in hanc insulam conversa fuerit. Rem paullo aliter narrat Hyginus fab. 53. vide notam ad v. 70. in hymno in Apoll. in fine.

Quod similis per noctem olim labentibus astris,
Ex alto in pelagus caelo te jeceris imum;
Cum fugeres invisa Jovis connubia: donec
Aurea non Latona tuas pervenit ad oras,
Asterie tam dicta diu, nec cognita Delus.
Saepius a Xantho, parva et Troezenis ab urbe
Nauta petens Ephyram, te ad stagna Saronica vidit;
Idem Ephyra solvens cursumque remensus eumdem

---

45 .... *labentibus astris &c.* Illis nempe, de quibus Virg. Georg. lib. I. v. 368.

Saepe etiam stellas vento impendente videbis
Praecipites caelo labi.

46 *Ex alto in pelagus caelo &c. In profundam fossam*, inquit Callimachus, quam, ut bene observat Spanhemius, pro mari ponit, in quod ultro desiliit haec Asterie; unde enata ibi insula Asterie primum, ac tandem Delos appellata.

50 *Saepius a Xantho &c.* Mire hic Callimachi versus criticos torsit. Graecus interpres unum dumtaxat locum a poëta nominari putat, Troezenem nempe urbem, in qua Xanthus quidam regnaverit. Spanhemius, cum in Troezenis regum enumeratione facta a Pausan. lib. xI. nullum inveniat nomine Xanthum, bina hic loca indicata esse autumat, Xanthum nempe Lyciae aut urbem, aut fluvium cognominem, et Troezenem, atque hoc velle poëtam: nautas, qui a Lycia Troezenem, atque Corinthum versus navigabant, Asteriam insulam in Saronico sinu natantem conspexisse; Corintho autem reversos eamdem quippe adhuc mobilem, et jam Euripum Chalcidicum ingressam non amplius deprehendisse. Hanc ego Spanhemii sententiam sequutus sum, quae quibus rationum momentis innitatur vide apud eumdem. De Xantho Lyciae fluvio vide infra notam ad v. 371. Troezen autem est trium oppidorum nomen, quorum primum est in Peloponneso ad sinum Argolicum, alterum ibidem in Messsenia, tertium in Asia minore: hic de primo sermo est; vide Geographos.

51 *Nauta petens Ephyram &c.* intellige Corinthum, quae ante quam a Corintho Marathonis filio nomen acciperet, Ephyra dicta est ab Ephyre Nympha Oceani et Tethyos filia, quae prima in iis finibus consedit. Vide Plin. lib. IV. cap. 4.

Ibid. ... *ad stagna Saronica &c.* nempe ad sinum maris Aegaei, qui inter Atticae et Peloponnesi littora ad Isthmum extenditur: vide Plin. lib. IV. cap. 4. et 5., qui Saronicum dicit appellari a querno nemore a quo erat redimitus, Grecia antiquitus appellante quercus σαρωνίδας. Contra veteres critici ad Euripidis Hippol. v. 1200. docent ita vocatum a Sarone quodam venatore, eodemque rege Troezeniorum, qui furore correptus se in illum sinum praecipitem dedit.

Amplius haud vidit; freta namque angusta subibas
Cum magno Euripi volventis murmure fluctus.
Chalcidici actutum fugiens dein aequoris undas,
Cecropii aut Sunî projecta ad saxa natabas,
Aut Chion, aut veteris perfusum fluctibus uber
Partheniae, ante Samos coepit quam nomine dici:
Teque hic excipiunt longis erroribus actam
Finitimae Ancaei Nymphae Mycalesides oris.
~~Ast, tibi cum puero primum~~ cunabula Phoebo
Praebita, pro meritis haec tunc tibi nomina tantis

---

53 ... *freta namque angusta subibas &c.* De Euripo supra dictum in hymno in Dianam ad v.218. de ejus rapiditate et alterno cursu vide Pompon. Mel. lib.II. cap.7.

55 *Chalcidici actutum fugiens &c.* Euripum nempe fluentem inter Aulidem Boeotiae portum, et Chalcidem primariam Euboeae insulae urbem, ita dictam, quod χαλκος, seu aes ibi primum repertum fuerit, vel a Chalcide Asopi filia. Plin. lib.IV. cap.12.

56 *Cecropii aut Sunî &c.* Sunium est promontorium Atticae, de quo Strabo lib.IX.

57 *Aut Chion, aut &c.* Chios insula in mari Aegaeo, et Icario Ioniae adjacens: in ea montes Pellenaeus et Arvisus vino celebres et marmore. Vide Plin. lib.IV. cap.31.

Ibid. .... *uber Partheniae &c.* Sic etiam Virgil. dixit *uber telluris* Aen. III.

... quae vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
Accipiet reduces.

Samus autem insula maris Icarii Ioniae adjacens, Parthenia antea appellata, quod scilicet Juno adhuc virgo ibi fuerit educata. Ita eruditi Apollonii Enarratores ad l.1. v.187. Ita etiam e Varrone refert Lactantius Instit.lib.I.cap.17. Hujus insulae planitiem maris fluctibus perfusam esse docet Strabo.

60 *Finitimae Ancaei &c.* illius nempe Ancaei, qui cum prius Samen Cephalenicam Thraciae urbem incoluisset, coloniam ex Apollinis oraculo in insulam Samum deduxisse dicitur a Jamblicho. Hunc Neptuni filium, et Lelegum regem fuisse, et Maeandri filiam Samiam uxorem habuisse refert Pausan. in Achaicis. Graecus scholiastes tradit fuisse Sami regem. Nymphae vero *Mycalesides* ita dictae a Mycale monte in proxima continenti sito e regione Sami. Ab his igitur nymphis, cum proximae essent Ancaei, hoc est Sami ipsius littoribus (sive ille Sami rex fuerit ut hic in scholiis; sive coloniae in Samum deductor, ut ex Jamblicho vidimus) Asterie adhuc errans hospitio excepta est.

62 ... *haec tunc tibi nomina &c.* Postquam Apollini natale solum praebuit Asterie Δηλος a nautis, hoc est *manifesta* vocata est, *quod non obscura nataret amplius*, ut infra.

Fecerunt nautae, ~~quod~~ non obscura ~~natares~~ iram natabas
Amplius; ast mediis radices in maris undis
Altius Aegaei figens immota ~~manerer~~. manebas.
Nec vero implacidae trepidas Junonis ob iram,
Prole Jovem augentes odio dum concita Nymphas
Urget acerba fremens; Latonamque acrius unam
Insequitur; natum quod scilicet una parenti
Marte magis carum gravida gestaret in alvo.
Illa igitur speculam sublimi in vertice Olympi
~~Nescio quid exsuperans magnam infandumque~~ locarat, Iram corde premens magnam infandamque
Maturoque gravem fetu hinc arcebat et illinc;
Nec satis: aërio duplex in culmine custos
Additur erranti, late omnis terra videri
Unde queat. Thracis ~~celsa cataphractus~~ sublimi armatus in Haemi
Vertice stans Mavors, terrarum despicit omnes
Sejunctos pelago tractus; curruque soluti
Multiplici Boreae bijugi stabulantur in antro.
Parte alia invadens Iris juga summa Mimantis
Prospectat quaecumque jacent medio aequore terras.
Ergo urbes, peteret si quas Latona, minaci
Excipere errantem vultuque et voce vetabant.
  Jam ſugit Arcadiae tellus, jam mons sacer Augae

---

67 . . . . ***odio dum concita &c.*** Nota apud poëtas Junonis in Jovis pellices saevitia. Hic duos spectatores constituisse fingitur, qui Latonam omni loco prohiberent: quorum alter Mars in Haemo Thraciae monte constiterit, unde longe lateque in Macedoniam, Thessaliam etc. prospectus illi patebat (est enim altissimus ut Strabo docet lib. VII.): altera vero Iris Mimantem tenuerit, unde insulas maris Aegaei prospicere facile poterat: est enim Mimas mons et promontorium Ioniae prope Colophonem urbem, quod contra Chium insulam porrigitur: vide Plin. lib. V. cap. 29. a med.

79 ***Multiplici Boreae &c.*** ἑπταμύχῳ Βορέαο παρὰ σπέει etc. ***in septemplici Boreae antro***: hic ἑπτα. multitudinem significare, ut etiam aliquando τρία, advertit Vulcanius. Thraciam Boreae, aliorumque ventorum domicilium esse jam adnotavimus supra ad v. 32.

84 ***Jam fugit Arcadiae tellus &c.*** De Arcadia satis dictum in hymno in Jovem. *Parthenius* Arcadiae mons, ubi Auge Alei Arcadis filia, et Minervae sacerdos conceptum ex Her-

Parthenius, retroque fugit senis unda Phenaei.
Illam tota fugit regio Pelopeïas, Isthmo
Quanta jacet bimari contermina; restitit Argos,
Restitit Aegialos; neque enim Latona per illas

---

cule Telephum filium exposuit, qui postea a cerva enutritus est. Ita Hyginus fab. 99. Tzetzes ad Lycophr. non ab Auge parente, sed ab avo Aleo expositum narrat. Sacer autem hic mons dicitur vel Pani, cujus ibi celebre extabat fanum, vel in memoriam nati ibi, expositi, enutritique Telephi, Telepho ipsi, ejusque parenti, ut observat Spanhemius.

85 ... *senis unda Phenaei &c.* Φηναιος hic ob metri gratiam; apud Homerum et alios Φενεος est urbs Arcadiae in monte Cyllene juxta lacum cognominem, ut testatur Stephanus de urbibus. Cum Pheneus a Callimacho vocetur senex, scite conjicit Th. Graevius indicari ab eodem non urbem, sed lacum, cujus aquae, ut inquit Ovid. Metam. l. xv. *nocte nocent potae, sine noxa luce bibuntur*. Veteres enim cum mare, aut flumina, aut lacus repraesentare vellent, senis effigiem pingebant.

86 *Illam tota fugit &c.* Peloponnesus regio et peninsula Graeciae ita dicta a Pelope Tantali regis Phrygum filio, quasi Pelopis νησος: vide Pausan. in Eliac. Herodot. lib. VII. Thucyd. lib. I. etc. Hic non tota Peloponnesus Latonam fugisse dicitur, sed pars tantum ejus Septentrionalis, quae nempe adjacet Isthmo, ut continuo addit poëta. Quamquam autem Peloponnesi nomen Latonae aevo notum non esset, nondum scilicet nato Pelope, sollemne tamen poëtis est regiones non priscis appellationibus, sed recentioribus et suo aevo usitatis frequenter indicantur.

87 .... *restitit Argos &c.* urbs celeberrima Peloponnesi, caput Argiae, seu Argolidis, cognominata ab Argo Rege: vide Strabonem l. VIII. *Aegialos* vero antiquitus dicta ea littoralis, quod vox ipsa etiam arguit, Peloponnesi pars, quae inter Eleos et Sicyonios sita Achaiae postea nomen obtinuit. Ita praeter Pausaniam et Strabonem Plin. lib. IV. cap. 5. Crediderim tamen cum Spanhemio hic Callimachum alludere ad aliam hujus appellationis originem, ad eam nempe, quam veteres Mythologi, ut Apollodorus sub initium lib. II., arcessunt ab Aegialeo Inachi antiquissimi Argivorum Regis filio. Hujus conjecturae ratio infra patebit in nota seq.

88 .... *neque enim Latona per illas &c.* Latona e Jove gravida locum ubi pareret a Junonis insidiis tutum quaerebat: quare non incaute ab ea praeterita dicitur Argos, ubi Juno regnabat, hoc est religiosissime colebatur: unde Horat. lib. I. od. VII. *plurimus in Junonis honorem aptum dicit equis Argos*, et Virg. Aeneid. VII. v. 286.

Ecce autem Inachiis se se referebat
ab Argis
Saeva Jovis conjux.

Pro Inachiis undis intellige Argivorum regionem, quam praeterlabitur fluvius Inachus, qui primo Argivo-

Ausa vias inferre pedem: namque aemula Juno
Regnandas late Inachias acceperat undas.
Mox simili Aonie fugit impete: pone sequuntur
Dirceque et Strophie, Ismeni quae brachia patris
Nigra tenent. longo dein dissitus intervallo
Prosequitur genua aegra trahens, et vulnere foedus
Fulminis Asopus. Meliae tum forte choreis

---

rum Regi Inacho nomen dedit, vel ab eo accepit. Eadem de causa praeterita est a Latona etiam *Aegialos*, quod nempe Aegialeus, a quo nomen loco inditum volunt Mythologi, et Grammatici veteres, Inachi filius censeretur.

91 *Mox simili Aonie &c.* Boeotiam intelligit, quam, priusquam ita Cadmus eam appellasset a bove illic inventa, ut fuse narrat Ovid. initio lib. III. Metam., olim Aoniam vocatam esse ab Aonibus barbaris, qui initio eam tenuerunt, docent Strabo lib. IX. et Pausan. lib. IX. et Stephanus, aliique.

92 *Dirceque et Strophie &c.* Dircen fontem fuisse prope Thebas primariam Boeotiae urbem, res quidem pervulgata: hinc pro Thebis ipsis a vate Thebano usurpatur, et ipsemet cycnus Dircaeus appellatur ab Horatio lib. IV. od. 2. De *Strophie* vero res admodum obscura; et qui tam multa legerat Spanhemius, hunc etiam esse Thebarum fontem non aliunde scire se dicit, quam e scholiis ad hunc locum. Plinius l. IV. cap. 7. varios enumerat Boeotiae fontes, nullam tamen hujus Strophies mentionem facit, quem cum Dirce conjungit Callimachus, ambos Ismeni patris brachia tenere asserens, hoc est ex eodem Ismeno flumine genitos esse. De Ismeno et de Asopo, de quo infra, nobilissimis Boeotiae fluviis vide Strab. lib. IX. Plin. lib. IV. cap. 17. Ismenus hic μελαμψήφοις, hoc est nigras arenas volvens vocatur, haud aliter ac Anaurus in hymno in Dianam: vide notam ad v. 113. ejus hymni

94 .... *vulnere foedus fulminis Asopus &c.* De Asopo Boeotiae fluvio alii alias fabulas commenti sunt, quas vide apud Mythologos. Quae ad hunc locum declarandum facit haec est: Asopi filiam Aeginam Juppiter in ignem conversus vitiaverat, quod pater adeo aegre tulisse dicitur, ut undas suas quasi caelo bellum moturus in Jovem ipsum evomuerit. Eum Juppiter iratus fulmine percussit: vide Ovid. Metam. lib. VI. Quod hic indicat Graecus interpres, Aeginam nempe raptam a Jove, Asopo raptum indicasse Sisyphum, Asopumque, dum Jovem insequeretur, fulmine percussum esse, legitur etiam apud Pausan. lib. II.

95 ... *Meliae tum forte choreis &c.* De Meliis Nymphis vide quae supra adnotata sunt in hymno in Jovem ad v. 51. Haec, de qua hic sermo est, Melia vocatur αὐτόχθων *indigena*, hoc est Thebana. Ita Athenienses superbiebant quod αὐτόχθονες essent, non advenae, aliarumve gentium coloniis permixti. Dicitur etiam se se repente circum-

Indigena indulgens actutum sequae volutat,
Et trepida abrumpens incoepta tripudia pallet,
P Meliae, sequae volutat coeptosque Actutum, choreas abrumpit pallida saltus
Multa gemens silvas ubi summo Helicone trementes
Vidit, et aequaevam nutantem vertice quercum.
Vos o Pierides, mea numina, dicite: Nymphae
Num simul et quercus exortae in luminis oras?
Nam gaudent Nymphae cum quercus educat imber,
Flent Nymphae spoliant foliis cum frigora quercus.
Quercubus his nondum materna egressus ab alvo
Succenset Phoebus, Thebisque haud vana minatur.
Quid cupis instantem urbs cladem miseranda doceri?
Quae te fata manent ne me portendere cogas
Invitum: nondum tripodem Pythone movendum
Suscepi, nostro nondum ingens decidit arcu
T occidit
Serpens; sed saniemque vomens linguisque coruscans

---

egisse, et incoeptas choreas abrumpens indoluisse, quod quercus in Helicone commoveri videret: ad quem locum intelligendum non oportet confugere ad fabulam de quercu in Helicone eo tempore excisa, quam nondum se indagare potuisse fatetur Ernestus. Acutius vidit Dionys. Strocchius, qui sub hac Meliae allegoria Heliconis fugam a poëta indicatam vidit.

99 ... *aequaevam nutantem &c.* Cum Meliae ex genere sint Hamadryadum, seu Nympharum, quas cum quercubus, aliisque id genus silvestribus arboribus nasci simul et mori credebant veteres, ut ex ipso nomine liquet, hinc quercus ista in Helicone commota huic Meliae coaetanea dicitur. Hinc etiam apud Apoll. Argon. lib. II. v. 481. Nympha quaedam Hamadryas Paraebii patrem arbores in monte exscindentem orat:

Μη ταμεειν πρεμνον δρυος ἡλικος

Aequaevae vellet ne truncum exscindere quercus.

104 *Quercubus his &c.* Comminatio Apollinis nondum nati, qua poenas minatur Thebanis ob inhospitalitatem erga Latonam matrem.

106 *Quidcupis instantem &c.* Vaticinium excidii Thebarum. Ter deletas esse Thebas tradit Dicaearchus; et Diodorus lib. IX. aliquoties fuisse plane excisas testatur.

108 ... *nondum tripodem Pythone movendum &c.* Se nondum suscepisse ex tripode oracula edere inquit Apollo, cum nondum natus esset. Porro tripus erat sella, vel mensa tripes in templo Apollinis Delphici, in qua Pythia, seu Phoebas mulier sacerdos sedebat, et responsa dabat. Hunc Apollo oraculum editurus commovebat: hinc Senec. in Med. v. 86. *qui tripodas movet.* De tripode Apollinis Pythii legendus Diodor.

E Plisti prorepit aquis, noviesque nivales
Parnassi spiris ingentibus implicat oras.
Haec tamen (e lauro nec quondam fata monebo
Certius) haec praedico tibi; procul hinc fuge, mox te
Assequar, et tepefacta tuo mihi tela madescent
Sanguine. tu matris miserandos excipe natos
Congerere ausurae in sanctos convicia Divos:
Non mihi tu nutrix eris, aut tuus iste Cithaeron:
Castus ego castis tradar, castisque favebo.
Haec Phoebus; retroque illinc Latona recessit.
At profugam postquam rejecit Achaica tellus,
Neptunique Helice cura, Oeniadaeque juvencos

Sicul. lib. XVI. et Erasmus in proverbio, *ex tripode*. De Pythone urbe, seu Delphis vide quae dicta sunt in hymno in Apoll. ad v. 40. de Pythone serpente, de quo hic infra, vide in primis Strabonem lib. IX.

111 *E Plisti prorepit aquis &c.* Plistus fluvius, Parnassus mons, uterque in Phocide, ubi hic serpens ab Apolline interfectus fuit.

113 *Haec tamen (e lauro &c.)* Sensus est, quae quondam e tripode laureato edam oracula non erunt hoc certiora, quod ex utero matris meae nunc edo. Coronas laureas supra fatidicum Delphorum tripodem positas ostendunt Delphorum nummi, quos refert Spanhemius, apud quem hac de re plura vide.

116 .... *tu matris &c. Tu liberos jactabundae mulieris habes*, ita Callimachus. Filiorum Niobes Thebanae caedem vaticinatur Apollo; et me quidem, inquit, quae excipias et nutrias digna non es, Thebarum urbs; excipe et nutri miseres Niobes filios. Hanc fabulam attigimus in hymno in Apoll. ad v. 25. Plura vide apud Ovidium Metam. lib. VI.

118 .... *tuus iste Cithaeron &c.* Mons Boeotiae prope Thebas, cujus saxa Amphioniae lyrae sonitu circa Thebas attracta

Sponte sua in muri membra coisse ferunt.

Prop. lib. III. el. 2.

119 *Castus ego &c.* Non absimile illud Ovid. Metam. lib. VIII.

Cura pii Dîs sunt, et qui coluere coluntur.

122 *Neptunique Helice cura &c.* *Helice* et *Bura* Achaiae urbes ad sinum Corinthiacum sitae, quas etiam Ovid. ut hic poëta noster vocat Achaidas Metam. lib. XV. v. 293.

Si quaeras Helicen et Burin Achaidas urbes &c.

Helicen inter urbes Neptuno amicas et sacras recenset etiam Homerus Iliad. lib. VIII. v. 203. Buram autem appellat poëta stabulum boarium cujusdam *Dexameni Oeniadae*; ad quem locum Graecus interpres De-

Dexameni stabulis quae pascit Bura sub altis ;
Thessaliam inde abiens petit. ast illam ater Anaurus,
Et Larissa ingens fugit, et Chironia rupes,
Pinguiaque amne secans Tempe Peneus amoeno.
~~Tanta etiam immiti, Juno, sub corde flagrabat~~
~~Ira tibi~~ ; nec dum fracta aut miserata quieras,
Cum nequidquam ambas Latona ad flumina palmas
Tendens, hos misero rumpebat pectore questus.
Nymphae, Thessalides Nymphae, Peneïa proles,
Adsitis, mentumque manu mulcete parentis,
Et blandas adhibete preces : ingentia sistat
Flumina ; nec fessam cursu me sidere in undis
Abneget, enitique Jovis sub flumine natos.
Quid ~~fugiens Penee notos Phthiota lacessis?~~
Siste pater : non te spatiis immissus apertis

Tantus adhuc furor immiti sub corde flagrabat, Juno tibi;

& ventis Penee fuga Phthiotice certas!

---

xamenum Centaurum inquit in hac urbe habitasse, ibique boum suorum stabula habuisse, unde nomen urbi factum ἀπὸ τῦ τὰς βῦς ὠρεῖν, a boum custodia. Cum vero in eodem Achaiae tractu Dexamenus quidam Oleni regnasse legatur apud veteres Mythographos, quos allegat Spanhemius, hinc eidem probabilius videtur de hoc Dexameno, qui ex Oenei liberis seu posteris fortasse fuerit, hic mentionem fieri, cum praesertim Bura, de qua hic agitur, Oleno proxima esset.

124 *Thessaliam inde abiens petit*. De Thessalia ejusque civitate Larissa, Peneo fluvio, et Tempe, vide Plin. lib. IV. cap. 8. Strab. lib. IX. aliosque Geographos. De Anauro Thessaliae fluvio dictum est supra in hymno in Dianam ad v. 113.

125 ... *Chironia rupes &c.* Pelion montem notat poëta, in quo Chiron Thessalus lapideam, ut Pindarus loquitur, domum habuit, ubi Iasonem, Achillem, et alios heroas educavit, ut passim apud poëtas.

126 *Pinguiaque amne secans &c.* Ovid. Metam. lib. I. v. 569.

... *vocant Tempe, per quae*
Peneus ab imo
Effusus Pindo spumosis volvitur
undis.

132 .... *mentumque manu mulcete &c.* Vide quae dicta sunt in hymno in Dianam ad v. 30. De fluviis vulgo barbatis vide supra notam ad v. 85.

136 ... *Penee ~~notos Phthiota &c.~~* Phthiota hic dicitur Peneus, quod ea Thessaliae pars illi adjacebat, quae Phthiotis olim dicta a Phthia urbe. Strabo lib. VIII. Unde *Phthiotica Tempe*, per quae nempe labebatur Peneus, dixit Catullus Epith. Thetid. v. 35.

Fuga Phthiotice & Lius

137 ... *non te spatiis immissus &c.*

Vectat equus. sicne usque citus tibi cursus? An unam
Me fugis, et solito gressus pernicior urges?
Anne hodie Penee volas? Ast ille precantem
Non audit. quo cara mei vos pondera ventris
Lassa feram? languent aegro jam corpore vires.
At vos, o Philyrae thalami; vos sistite rupes
Peliacae; vestris se, se nam saepe leaenae
Abdiderunt, fetusque feros fudere sub antris.
 Haec Dea; cui lacrimis mixta haec Peneus obortis
Dicta refert, ingens et ineluctabile numen,
Fatum obstat, Latona; neque ipse doloribus aegram
Hinc abigo: his memini zonam solvisse sub undis
Saepe alias, nostro lavisse et flumine fetus.
Sed tristes regina mihi denuntiat iras
Juno. videsne jugo quantus speculator in illo
Excubat? is facile me fundo evertat ab imo.
Quid faciam? misero Peneum occumbere leto
Immeritumne juvat? sed me fata aspera perdant,
Nec pigeat pro te quemvis durare laborem;
Abscedat licet unda, et siccas linquat arenas,
Et peream, vocer atque inter deterrimus amnes.
En maneo: jam, quod superest, Lucina vocetur.

Non tamen equum curulem insedisti, inquit Callimachus; quasi dicat, cur incitato praeter solitum cursu fereris, perinde ac si equum insedisses, et in agone decertares?

138 . . . *sicne usque citus &c.* Apposite ad rem hoc Latona; nam Peneus lente alioquin ac leniter per Tempe fluebat, ac instar olei procedere videbatur, ut testatur Aelianus V. H. lib. III. cap. 1.

143 *At vos, o Philyrae thalami &c.* Pelion Thessaliae mons, de quo supra ad v. 125. dicitur Philyrae thalamus, quod ibi Philyre Oceani filia cum Saturno concubuit, et Chironem concepit. Apoll. Rh. Argon. lib. II. Vide hymnum in Jovem ad v. 38.

149 . . . . *memini zonam solvisse &c.* hoc est peperisse. Vide hymnum in Jovem ad v. 22.

159 . . . *Lucina vocetur &c.* De Lucina seu Ilithyia vide dicta in hymno in Jovem ad v. 13. et in hymno in Dianam ad v. 26. et 29. Eam hoc loco diversam esse a Junone et Diana res ipsa docet.

Sic aït, et cursus ingentes frenat aquarum.
Ast juga Pangaei radicibus eruta Mavors
Attollens jam jam sinuosas jactat in undas,
~~Involvit jam jam~~ [Obstruit et totum] scopulis immanibus amnem.
Horrendumque alto clamans ab vertice montis
Hastamque clypeumque quatit: dant arma sonorem
Ingentem; tremuitque Ossa et Cranonia late
Tellus, et graviter Pindi gemuere recessus;
Nullaque Thessaliae magno non ora resultat
Pulsa metu: tali sonuerunt arma fragore!
Fumiferis omnis ceu cum tonat Aetna sub antris,
Immani quoties pressus sub pondere fessum
Invertit Briareus latus, aut fornacibus atris
Instat opus versatque tenaci forcipe massas
Mulciber; et tripodes lapsi levesque lebetes
Se se urgent, fractisque implent tinnitibus auras;
Haud secus illisa in clypeum Mars increpat hasta.
Non tamen abscessit sonitu perterritus illinc
Peneus, nisuque manens immotus eodem
Praecipites jussit fluctus consistere; donec
Salve, inquit Latona, et felix vive; nec ulli

---

161 *Ast juga Pangaei &c.* montis in Thraciae et Macedoniae confinibus, de quo Plin. lib. IV. cap. II. aliique scriptores, non procul ab Haemo monte, unde subjectas regiones speculabatur Mars, ut supra dictum est. Horum montium vicinia satis luculenter colligitur ex Lucano lib. I. v. 679. ubi Baccha Edonis se utrumque conspicere dicit uno intuitu:

. . . . . *video Pangaea nivosis*
Cana jugis, latosque Haemi sub rupe Philippos.

166 . . . . *tremuitque Ossa &c.* De monte Ossa jam dictum in hymno in Dianam ad v. 59. Cranon urbs Thessaliae ἐν τοῖς Τέμπεσι, per quae Peneus labebatur. Stephan. Plin lib. IV. cap. 8. etc. De Pindo Thessaliae monte passim poëtae.

172 *Invertit Briareus latus &c.* Idem de Encelado dixit Virgilius Aen. III. qui hunc Callimachi locum felicissime imitatus est.

180 *Salve, inquit Latona &c.* Postquam viri boni imaginem adumbravit poëta in Peneo fluvio, qui nullis hostium minis periculisque ab honeste factis dimoveri se patitur, mutuae benevolentiae et magnanimitatis exemplum exhibet in Latona,

Te patiar pro me caput objectare periclo:
Salve; magna pio referetur gratia facto.
Dixerat, et pelagus tot jam tellure labores
Passa petit: nulla adventantem ast insula Divam
Excipit, innumeras portu nec Echinades amplo
Condentes puppes, ipsi nec littora fessis
Phaeaces pandant ultro licet hospita nautis.
Iris enim terras, quotquot circumfluit aequor,
Multa ac dira minans celsa de rupe Mimantis
~~Deturbat~~: trepidant illae fugiuntque per undas
Inde simul, quo se properans Latona ferebat.
Forte Coon Diva attigerat, littusque subibat
Regnatum Meropa, sacrumque Heroidis antrum

---

quae potius Thessalia excedere parata est, quam praesentia sua mali quippiam periculive Peneo regionique, quam alluebat, conciliare.

183 . . . *et pelagus &c.* Exposita inhospitalitate Graeciae regionum in terra continenti, nunc ad insulas se convertit poëta.

185 ..... *nec Echinades amplo &c.* Insulae quinque parvae maris Ionii, ante os sinus Corinthiaci, inter ostia Acheloi fluvii Acarnaniae, et Araxum ~~[illegible]~~ Peloponnesi. Plin. lib. II. cap. 85. Ex hoc Callimachi loco, inquit Spanhemius, nec aliunde forte discimus, opportunum navium stationi portum habuisse Echinadas insulas, quas alioquin desertas fuisse tradit Thucyd. lib. II. sed non est a poëta, ~~tamquam a jurato teste~~, exigenda veritas.

187 *Phaeaces pandant ultro &c.* Phaeacia eadem ac Corcyra insula maris Ionii, hospitalitatis laude apud Homerum celebris, ad quam cum naufragio facto Ulysses appulisset, ab Alcinoo Rege benignissime hospitio exceptus est. Odyss. lib. VII. Plura de hac insula vide apud Plin. lib. IV. cap. 12. Pomp. Mel. lib. II. cap. 7. et alios.

192 *Forte Coon Diva attigerat &c.* Coos, item Cos insula maris Aegaei, de qua Hygin. Astronom. lib. II. n. 16. *nonnulli, inquit, dixerunt etiam Meropem quemdam fuisse, qui Coon insulam tenuerit regno, et a filiae nomine Coon, et homines ipsos a se Meropas appellant.*

193 ...... *Heroidis antrum Chalciopes &c.* Non de Chalciope Medeae sorore, et Argi e Phryxo matre, quod docet Frischlinus, sed de alia quadam Coa Heroina mentionem hic fieri a poëta tradit Spanhemius; de illa nempe, ex qua et Hercule natus est Thessalus, ut perhibet Apollod. lib. II. cap. 7., aut Eurypylus Coorum Rex, ut veteres Critici ad Homeri Iliad. lib. II. v. 677. Plura vide, si vacat, apud eumdem Spanhemium. Ἱρὸν autem μυχὸν, sacrum huic Heroinae Chalciopae recessum, vel antrum in hac in-

Chalciopes; illinc sed matrem his cedere natus
Vocibus admonuit: ne me his enitere, mater,
Littoribus: non aspernanda, indignave nobis
Illa quidem; nec enim pascendo aut aptior ullo
Terra loco pecori est, aut ditior ubere glebae.
His aliud sed enim terris felicia Numen
Fata parant, claram Dîs Servatoribus ortam
Progeniem; cujus sub jura, Macedonis ultro
Imperio parens, orbis se tradet uterque,
Quaeque jacent ponto terrae; qua sistit anhelos

---

sula extitisse ex hoc Callimachi loco discimus.

195 . . . . . *ne me his enitere &c.* Gratulaturus poëta Ptolemaeo Philadelpho heroi suo ac benefactori, cujus in regia vixit et floruit, fingit Apollinem in Coo insula nasci noluisse, ne de honore et gloria Ptolemaei aliquid detraheretur, qui in hac insula natus educatusque est, eamque ortu suo non minus quam Apelles, aut Hippocrates illustrem nobilemque fecit. Vide Theocr. Idyll. XVII.

197 . . . . *nec enim pascendo &c.* Hanc insulam *frugum feracem, vino etiam commendatissimam, sicuti Chius et Lesbus*, fuisse testatur etiam Strabo lib. XIV.

200 ... *claram Dîs Servatoribus &c.* Hujus Philadelphi pater Ptolemaeus, qui Lagi verbo tantum, ut docet Pausan. in Atticis, re autem Philippi Amyntae filius fuit, unus ex Alexandri ducibus Persico bello Aegyptum occupavit. Ab hoc ob res magnifice gestas Θεῶν Σωτήρων, seu *Deorum Servatorum* appellationem inter Aegyptios fluxisse ex antiquis monumentis constat.

201 . . . *Macedonis ultro &c. non recusans sub Macedonum imperio esse*: Ptolemaei autem Macedones dicuntur a majoribus, ut patet ex supra dictis, et Alexandro M. in imperio successerunt. Scribitur Μακεδὼν, et Μακηδὼν; hinc secunda syllaba anceps apud poëtas.

202 ... *orbis se tradet uterque &c.* Amplificatio ὑπερβολικὴ potentiae Ptolemaeorum, quos ceteroqui potentissimos fuisse constat, ut vidimus in hymno in Jovem. Plura apud Theocr. in Idyll. cit. reperies, qui ait sub Philadelphi imperio fuisse urbes 33339.

. . . sunt scilicet omnes
Ter centum ter denae olli, terque ordine ternae
Triginta supra tria millia, ut scite vertit B. Zamagna. Dicitur autem orbis uterque a poëta ex veterum sententia, qui continentem terram, ut docet Varro de L. L. lib. IV. in duas tantum partes dividebant, Asiam nimirum et Europam. Hinc intelligendus Tibullus lib. IV. carm. I.

Solus utroque idem diceris magnus in orbe.

P Quadrijuges, portis et qua Sol mittit

~~Phoebus equos, et qua portis immittit~~ Eois.
Ille premet magni vestigia clara parentis:
Ille etiam sociis mecum bellabitur armis,
Hesperiis effusa plagis cum sera Gigantum
Progenies cogens armatas ense phalanges
Barbarico, Celtamque movens in praelia Martem
Irruet, et Grajas late populabitur urbes,
Densior et nivibus, caelo et pascentibus astris.

---

206 *Ille etiam sociis &c.* Vaticinium Apollinis de bello Celtico, quod Brennus Gallorum dux toti Graeciae intulit. Hoc bellum commune sibi et Ptolemaeo futurum inquit Apollo: etenim Gallorum exercitus apud Delphos Apollinis potissimum auspiciis fusus superatusque est; ejus reliquiae ad Nili ostium Sebennyticum a Ptolemaeo prorsus deletae.

207 *Hesperiis effusa plagis &c.* Celtas vocat Callimachus occidentales, quos jam antea Herodot lib. IV. cap. 49. *ad solis occasum extremos post Cynetas esse* dixit.

Ibid. . . . . . *sera Gigantum progenies &c.* Titanas sero natos, seu Gigantum posteros appellat Celtas poëta, quod ut Gigantes caelum expugnare, sic Celtae Apollini bellum inferre, ejusque templum diripere aggressi sunt. Adde immanem eorumdem corporum magnitudinem, de qua legendus Pausan. lib. X. Liv. lib. XXXVIII. aliique passim historici.

209. *Barbarico &c.* Gladiis longioribus, quam quibus utebantur Graeci, armatae erant aliae gentes tam Asiaticae, quam Europaeae, quae vulgo *barbarae* appellabantur.

Ibid. . . . *Celtamque movens &c.* Cum etiam Callimachus dicat Κελτον Αρηα pro Κελτικον, sic et ipse *Celtam Martem* dicere religioni non habui. Sic etiam Σκυθης ὁμιλος invenitur apud Aeschylum Prom. v. 2. et 417. Sic alia id generis passim occurrunt apud Graecos poëtas, quae Latinis etiam usitata esse animadvertit Causabonus in Lect. Theocr.

211 . . . . . . *caelo et pascentibus astris &c.* Cum, κατ' ηερα βουκολεονται, *in aëre pascuntur*, dixerit Callimachus, malui pascentia quam errantia, ut alii interpretes, astra appellare; eo magis quod hanc metaphoram, licet paullo audaciorem, mutuati a Callimacho esse videntur duo illa latini carminis luminaria Lucretius et Virgilius, quorum primus lib. I. v. 232. *unde aether sidera pascit?* alter Aen. I. v. 612. *polus dum sidera pascet*. Praeterea cum hac similitudine utatur poëta ad explicandam multitudinem pene innumerabilem Celtarum, fixas potius quae innumerabiles, quam errantes stellas quae perpaucae oppido sunt, indicasse videtur. Numerum autem Celtarum, qui nomina in hanc expeditionem dederunt, recenset Pausan. in Phoc., et peditum centum et quinquaginta millia, equites vicies mille et quadringentos fuisse testatur.

Tum vero Locrique gement, Crissaeaque circum
Vallis, Delphorumque juga, et trans aequora terrae,
Pinguia cum cernent vicinis culta cremari
Littoribus, nec jam tanti praenuncia luctus
Attonitas solum volitabit fama per urbes.
Atque adeo templi medium in penetralibus hostem
Aspicient; tripodasque meos temere impia jactos
Cingulaque et clypeos inter gladiosque minaces,
Dementi exitium populo, et mihi magna futuros
Praemia. victori deerit nec debita Regi

---

212 *Tum vero Locrique gement &c.* Plures a Geographis populi appellantur Locri; hic intellige Locros Aetolis finitimos, qui latus Parnassi occidentale incolunt teste Strab. lib. IX. Reliqua vide apud Plin. lib. IV. cap. 3. Idem Strabo ante Cirrham Locrorum urbem situm esse *Crissaeum* campum uberem et felicem docet. De rupe Delphica in Parnasso monte, ubi Delphorum urbs, et fanum Apollinis, videndus Strabo lib. IX. et Justin. lib. XXIV. cap. 6.

215 . . . *nec jam tanti praenuncia luctus &c.* Sensus est: Locri etc. ante audierant Celtas quocumque venissent ferro ignique vastare omnia; nunc etiam suis oculis in vicinia videbunt.

217 . . . . *medium in penetralibus hostem &c.* Delphorum templum a Celtis direptum expilatumque fuisse narrant Pausanias et Strabo. Attigit etiam Propert. lib. III. el. 13.

Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.

220 *Dementi exitium populo &c.* arma nimirum, quibus Celtae templum Apollinis diripere ausi erant, exitio ipsis esse debebant, et Apollini ornamento. Ipsos enim immissa grandine, ut scholia ad hunc locum, Apollo iratus disjecit. Propertius loc. cit. addit nives et concussum Parnassi verticem. De prodigiis, quibus Apollo templum arasque suas in hac Celtarum direptione vindicavit, praeter Pausan. lib. VIII. vide etiam Justin. lib. XXIV. cap. 8. et Cic. de Divinat. lib. I. cap. 37. Arma vero Celtarum, ut hic ex Callimacho colligitur, in monumentum partae Apollinis auspiciis victoriae, in templo Delphico appensa.

221 . . . . . *victori deerit nec debita Regi &c.* Quemadmodum hoc bellum commune sibi et Ptolemaeo regi futurum paullo supra dixit Apollo, ita hic commumem fore victoriae mercedem vaticinatur. Rem ita narrat Graecus interpres: fusis ad Delphos ope Apollinis Celtis, eorum reliquias Antigonus quidam Ptolemaei amicus conduxit; iis enim Ptolemaeus indigebat ad Aegyptum occupandam: sed cum Regis pecuniam vellent diripere, detecto in tempore consilio, eas ad Nili ostium Sebennyticum translatas ibi

Merces; nam fusos inimicus ut hauserit ignis
Hostes, ad Nili quae ripas cumque jacebunt,
Exuvias victi referet Rex praemia belli.
Haec tibi fata cano Ptolemaee; uteroque latenti
Matris adhuc vati meritae praeconia laudis
Usque memor referes. tu nunc adverte, docebo
Quid sit opus facto, mater. natat insula ponto
Pumiceo spectanda solo, quam littora circum

---

submergi, aut, ut indicare videtur Callimachus, comburi jussit Ptolemaeus, earumque spoliis potitus est. Cum Graeco interprete non consentiunt Pausan. lib. I. et II. et Justin. lib. XXV. cap. I. quos vide, si vacat. Ceterum Scholiastae auctoritas auctoritate Callimachi satis confirmatur, qui eodem quo Philadelphus tempore, nec procul a Nilo, Alexandriae scilicet agebat.

222 .... *inimicus ut hauserit ignis &c.* Haec sunt Callimachi verba: *pars quidem eorum* (armorum) *mihi cedet praemio, pars vero ad Nilum in igni dominos* (Celtas) *expirare videns jacebit, Regi praemia magni laboris futura.* Quaeret fortasse quispiam: jacebitne in igne? combureturne pars illa armorum? An videns dominos suos expirantes in igne, servabitur ut victori Regi praemio cedat? Prior explicatio communior; et notum aliunde est arma Marti combusta post victoriam honoris caussa. Sed si combusta arma illa dixeris, quinam Regi praemia magni laboris futura erant? Posterior explicatio adversatur illa quidem Scholiastae enarrationi, qui Celtas submersos, non combustos asserit, sed verior est, utpote magis poëtae verbis cohaerens.

226 ..... *meritae praeconia laudis &c.* Quae Apollinis verba rursus ad Philadelphi laudem mirifice faciunt, quibus ejus in Apolline tota vita colendo celebrandoque, ipso id praesagiente Apolline, singulare studium perhibetur. Quo nihil utique a poëta aulico, et in magni illius Regis clientela florente, ad ejusdem commendationem luculentius dici aut opportunius potuit. Notum vero aliunde hunc Regem optimarum artium studiis apprime eruditum, atque optime de iis deque earum cultoribus meritum fuisse. Vide hymnum in Apollinem ad v. 27.

229 *Pumiceo spectanda solo &c.* διειδομένη .... νῆσος ἀραιή: διειδομένη, *apparens, conspicua*, estque verbum Homericum Iliad. XIII. v. 277. ubi de virtute conspicua sermo est. Rejicit hanc explicationem Spanhemius, quod ante Latonae partum nondum Δῆλος *manifesta* haec insula appellaretur, aliamque profert ex quodam Hesychii loco, huc tamen vi potius quam sponte delatam. ἄδηλος enim haec insula quidem erat ante Latonae partum, hoc est deserta et ignobilis, quod ceteroqui non impedit, quominus conspicua, seu visibilis esset: post partum vero Latonae facta est et dicta Δῆλος, hoc est clara et incolis frequentata, qui a vicinis

Errantem, nullaque diu statione manentem
Hinc Notus, hinc Boreas, hinc aequoris abripit aestus,
Asphodelus ceu cum summis levis innatat undis.
Huc age me transfer, terrae et succede volenti.
Haec Phoebo dicente aliae abscessere timentes
Adventum Divae sparsae per caerula terrae.
Tu tamen Asterie vatum studiosa, fluentis
Nuper ab Euboicis in gyrum Cycladas actas
Exieras visura; recens namque alga Geraesti
Pone ferebatur compulsa sequacibus undis.
Vix dum constiteras media inter Cycladas, ardor

---

insulis eo sedes transtulerunt. ἀραιή, explicatur a Vulcanio et aliis *angusta, exilis*: placet A. Fabri explicatio: insula *levi et pumicoso saxo vel solo* quod cohaeret cum iis quae supra dicta sunt ad v. 14. et quae infra dicentur ad v. 315.

232 *Asphodelus ceu cum &c.* ἀνθέρικος, *asphodeli fructus* explicatur hic in scholiis: *asphodeli caules* est apud Plinium: latini dicunt albucum, estque genus herbae. Vide Plin. lib. XXI. cap. 17. ubi albucum ab asphodelo distinguit et duo genera facit. Si cupis plura adi Spanhemium.

237 . . . . . . *in gyrum Cycladas actas &c.* περιηγέας, *rotundas*, quod non de singulis insulis, sed de universis, quae κύκλον quemdam efficiunt (unde Cycladum nomen) intelligendum putat Ernestus.

238 . . . *recens namque alga Geraesti &c.* Geraestus Euboeae promontorium versus meridiem respiciens, de quo Plin. lib. IV. cap. 12. Sensus autem est: cum Latona te peteret, Asterie, jubente Apolline, tu, utpote quae instabilis adhuc eras, ex Geraesto Euboeae promontorio descenderas visura insulas Cycladas; neque ita pridem, namque alga recens Geraestii litoris undarum a te motarum impetu acta te sequebatur.

240 *Vix dum constiteras media &c.* Ἔστης δ' ἐν μέσσῃσι etc. Integer hic versus in multis mss. deest: etiam sequentis, ubi de alga a Delo combusta fit mentio, pars deest spatio relicto: lacunam interpretes expleverunt; quae tamen fides hujusmodi supplementis sit habenda, critici viderint. Itaque miror sagacissimi ingenii virum Spanhemium de alga a Delo combusta tam multa subtilia disputare. Ego satius duxi sententiam ex Ernesti interpretatione ita concinnare, ut sibi constaret, quam spuria verba interpretari. Quod vero Delum adventante Latona circumquaque exarsisse dicit poëta, id metaphorice accipiendum est, ac de ejus in Latonam commiseratione intelligendum: ita recte dicuntur ardere qui vehementer amant, et qui vehementer irascuntur.

Cum subiit Divae succurrere protinus aegrae ;
Atque his Junonem compellas vocibus ultro .
Experiare in me , Juno , licet omnia ; casus
Stat tolerare omnes , nec me verba aspera terrent :
Jam propera , teque haec , Latona , ad littora perfer .
Sic ais , et magnis cessans erroribus , undas
Inopi propter Dea sedit , gurgite tellus
Quem pleno emittit , nigris devexus ab Indis
Aegyptum tumido cum flumine Nilus inundat .
Hic zonam propere solvit , palmaeque lacertos
Acclinat trunco ; pariendi languida torquet
Membra labor ; toto prorumpit corpore sudor .
Tum gemitus imo rumpens e pectore , matrem
Quid torques , inquit , puer ? en superinnatat undis
Insula , nascentique tibi cunabula praebet :
Nascere jam , et matris , puer , exi leniter alvo .
Saeva Jovis conjux , tanti non inscia facti
Esse diu poteras : invisi nuncia partus

---

247 *Inopi propter &c.* De Inopo Deli fluvio , qui eodem modo quo Nilus , eodemque quo ille tempore decrescit augeturque , vide quae adnotata sunt in hymno in Dianam ad v. 200.

248 .... *nigris devexus ab Indis &c.* Callimachus , *e cataractis Aethiopicis* . Aethiopes a veteribus vocati sunt etiam Indi . Ovidius certe cum Indis confundit Aethiopes cum dicit alicubi Perseum devexisse Andromeden *nigris ab Indis*. Apud Virgilium autem Georg. lib. IV. v. 293. *coloratis amnis devexus ab Indis* , de Nilo videtur intelligi debere, cum totus ille locus de Nilo sit . De Nili fontibus ejusque anniversario incremento vide Strab. lib. XVII. et inter recentiores Isaacum Vossium in primis in eruditissima dissertatione de Nilo.

250 *Hic zonam propere solvit &c.* De zonis solvi solitis in partu mulierum vide adnotata ad v. 22. in hymno in Jovem .

Ibid. ... *palmaeque lacertos &c.* Palma haec , juxta quam Latona peperisse credebatur , *relligione patrum et multos servata per annos* , diu in Delo floruit . Cic. I. de legibus eam se vidisse profitetur . De eadem Plin. lib. XVI. cap. ultimo , Pausan. in Arcad. etc. Ovid. lib. VI. Metam. Latonam peperisse dicit inter duas arbores, oleam nimirum et palmam:

Illic incumbens cum Palladis arbore palmae
Edidit invita geminos Latona noverca .

Plura de hac palma vide apud Spanhemium.

Advolat, et trepidis Iris sic vocibus infit.
  Diva potens, aliis quae praestas, Juno, Deabus;
Cujus ego imperio nec non late omnia parent:
Tu sceptrum jure una tenes stellantis Olympi;
Te praeter non ulla suo nos numine terret
Divarum: quae caussa moras me rumpere cogat
Ipsa vides; quaecumque jacet medio insula Nereo,
Latonam aut procul arcuit, aut aversa refugit:
Errantem una vocat, sinit una et solvere zonam
Asterie, sueta Asterie purgamina ponti
Verrere; vesanum nec te, Dea, praeterit ausum
Nunc age (namque potes) famulos tutare, ferentes
Qui tua jussa polo in terras demittimur alto.
  Dixit, et aurato subter vestigia Divae
Consedit solio; veluti tum caede ferarum
Confecta, positisque sedet Diana sagittis,
Sub pedibus Divae recubans canis auribus astat
Impiger arrectis, nutumque exspectat herilem:
Haud aliter solio Thaumantias haeret in imo
Officii memor usque sui, dare languida somno
Lumina lethaeis vél cum sopor impulit alis:
Nam solii ad fulcrum in tenues accline sopores

---

259 . . . *trepidis Iris sic vocibus infit &c.* Iridem Thaumantis filiam esse et Junonis famulam nemini non notum. Eamdem, quam speculatricem in Mimante monte constitutam supra vidimus a Junone, ut ex omnibus insulis Dianam arceret, nunc fingit poëta de Asteries injuria et Latonae partu apud Junonem conquerentem.

268 . . . *sueta Asterie purgamina &c.* Iris per contemptum vocat Asterien σάρον, hoc est *scopas* maris Aegaei; quod si metaphorice accipiendum, intellige insulam nullius pretii. Potest tamen proprie accipi, atque in Delum apte quadrare videtur, quae cum instabilis esset, motu suo maris Aegaei purgamenta quodammodo everrebat.

278 *Officii memor usque sui &c.* *suae sedis non immemor*, Callimachus: intellige stationis suae: statio autem apud latinos pro munere et functione etiam accipitur.

279 ... *vel cum sopor impulit &c.* Ita etiam Propert. lib.I. el.3.

Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis.

Vix caput inflectit, teretis nec cingula vestis
Unquam, nec celeris dissolvit vincula plantae,
Jussa timens inopina Deae vultusque severos.
At Juno ingenti sic luctu accensa profatur.
Sic vobis, o probra Jovis, sic usque latenter
Concubitu indulgere, et turpes edere fetus
Contingat; quos non ubi despectissima matrum
Turba jacet magno prolem paritura labore,
Ast solis phocarum instar pariatis in antris.
Pendere jam meritas tanto pro crimine poenas.
~~[illegible]~~ Asteriam; incautae Latonia parvo
Hospitia haud starent; justae sed parcimus irae:
Quin et diligimus, mirisque juvabimus ultro
Muneribus; nostrum nam non est ausa cubile
Tangere, posthabuit Jovis et connubia ponto.
Talia ubi dixit turbato pectore Juno,
Lydia linquentes Pactoli littora cycni,
Clarisonae Phoebi cycni Aonidumque volucres,
Septenis plausere super Delum orbibus alas,

Si vellem

---

285 *Sic vobis, o probra Jovis &c.* Invehitur Juno in Jovis pellices. Sunt qui haec verba cum interrogatione legunt: melius Stephanus, qui putat esse imprecantis: Ita vobis contingat, o Jovis opprobria, et clandestinas nuptias celebrare, et in occulto parere; ac ne iis quidem in locis, ubi miserae ἀλετρίδες (pistrices vel molitorum servae, pro quibus intellige vilissimas feminas) magno cum dolore pariunt; sed ubi phocae etc.

292 . . . . . *justae sed parcimus irae &c.* Asteriae Juno ignoscit, pudicitiae ejus memor, quod olim ipsa Jovis concubitus aversata esset. vide adnotata ad v. 44.

297 *Lydia linquentes &c.* Pactolus Lydiae, seu Maeoniae fluvius non procul a Caystro, de quo in hymno in Dianam ad v. 302. Cycnis autem non modo Caystrum, ut passim apud poëtas, sed etiam Pactolum abundare, praeterquam quod ex hoc Callimachi loco discimus, docet etiam Dionys. Perieg. ubi ait.

Hujus (Pactoli) *autem ad latera sedens veris tempore*
Olorum exaudires canoram vocem &c.

299 *Septenis plausere super &c.* Peculiar~~[illegible]~~, et quam alibi vix legas, inquit Spanhemius, septem horum volatuum, septemque cantilenarum ratio traditur hic in scholiis; quod scilicet septimo, ex quo conceptus fuerat, mense Apollo natus esset.

is

Septenos dulci prompserunt gutture cantus,
Latonae arguto mulcentes carmine nixus.
Hinc Divae quoties partum cecinere, tot olim
Inseruit citharae Phoebus discrimina vocum.
Septima finierant vix dum modulamina cycni,
Jamque puer dias in vitae prosilit auras.
Deliades veteri tunc natae flumine Nymphae
Alternis cecinere sacrum melos Ilithyiae,
Aeneus et laetis responsat versibus aether;
Nec Juno infremuit, mulsit nam Juppiter iras.
Omnia tunc etiam fulvum vertuntur in aurum
Dele tibi; fulgent auro fundamina, curvi
Per totum unda diem stagni circumfluit auro,
Auricomis oleae frondescunt germina ramis,
Plurimus auriferis Inopus volvitur undis.

---

303 *Inseruit citharae &c.* Quae ad septem has cycnorum cantilenas a Callimacho refertur origo citharae ἑπταχόρδου, eam Proclus ad Hesiod. repetit a septimo, quo Apollo natus est, die mensis, quem Thargelionem fuisse tradit Diog. Laërt. in vita Plat.

304 *Septima finierant &c.* antequam octavum cantum ederent cycni, Apollo ex utero prodiit.

306 *Deliades veteri &c.* Nymphae Inopi in Delo fluvii, ad quem constitisse Latonam parturientem paullo supra dixit poëta. *Melos Ilithyiae* est carmen natalitium. De Ilithyia, seu Lucina vide quae adnotata sunt ad v. [illegible]. hymni in Jovem, et ad v. 29. hymni in Dianam.

308 *Aeneus et laetis &c.* Ita etiam Homerus caelum appellat πολυχάλκον Iliad. lib.v. v.504.

310 *Omnia tunc etiam &c.* Felicitatem, quam ex Apollinis ortu consequuta est Delus insula, amplificat poëta, ostendens omnia in Delo aurea facta esse. Quod de templi Deliaci magnificentia intelligendum est.

312 *Per totum unda diem stagni &c.* Deliacae hujus paludis mentionem facit etiam Euripid. Ion. v.267. quamquam, ut hic Callimachus, praeterito nomine.

313 *Auricomis oleae &c.* Inter duas arbores *oleam* nimirum, et palmam peperisse Latonam adnotavimus supra ex Ovid. ad v. 250. Ad hanc fortasse oleam respexit Callimachus, ut etiam infra ad v.394. Addi potest Ovidio etiam Euripid. qui Hecub. v.458. palmae et oleam, et laurum insuper addit, quarum arborum ramis Latonae puerperium decoratum esse tradit.

i 2

Ipsa autem puerumque solo sustollis ab aureo;
Exceptumque foves, rumpisque has pectore voces.
  Magna parens, hominumque urbes arasque Deorum
Multiplices complexa sinu, ditissima Tellus,
Et pingues trans aequor agri, sparsaeque per aequor
Hac illac terrae; nec frugibus apta ferendis,
Nec pecori opportuna quidem, nec commoda Baccho
Sum, fateor; nostris sed vitam ingressus in oris
Delius a nostro dicetur nomine Phoebus.
Ulla Deo tantum tellus nec amabitur ulli:
Cenchrida Neptunus non sic orasque Lechaei,
L Cyllenem   Non sic Mercurius ~~Cyllenem amat,~~ Juppiter Idam
Diliget, ut natale solum me Phoebus amabit;
Nec sinet aequoreas posthac errare per undas.
  Sic ais, et cupidae reddis sua pignora matri:
Illa fovet teneris immulgens ubera labris.
l Sanctior ex illo l ~~Ex illo princeps~~ tu cunctas inter haberis
Insula, et infanti nutrix carissima Phoebo.

---

315 ... *puerumque solo sustollis &c.* Mos fuit apud veteres, natos infantes in terram primum prosternere, ut illam veluti parentem et altricem agnoscerent, deinde sublatos in parentum amplexus tradere. Spanhemius ad hunc locum.

317 *Magna parens &c.* Recte Ernestus haec verba Deli ipsius esse vult, iisdemque ab ea terram compellari. Ita enim sententiae ordo postulat, neque si de Delo ipsa dicerentur a poëta, ut explicat Spanhemius, bene congruerent cum iis, quae de sua sterilitate paullo infra Delus ipsa dicit. Sequitur deinde partitio in continentem et insulas, quibus se Delus anteponit ob Apollinis natales, licet sterilitatem suam fateatur.

325 *Cenchrida Neptunus &c.* Κεγχνὶς dicit Callimachus sed Ionice pro Κεγχρὶς, ut communiter hic locus a Geographis vocatur. Isthmus Corinthiacus duos habuit portus, Cenchridem, sive Cenchreas, et Lechaeum. Utrobique Neptunus colebatur, atque in Lechaeo templum et simulacrum habebat, ut testatur Pausan. in Corinth.

326 ... *Mercurius Cyllenem &c.* Cyllene mons Arcadiae, ubi ex Maja natus et a Cyllene Nympha educatus Mercurius, ut est in fabulis. De Ida Cretae monte vide hymnum in Jovem.

328 *Nec sinet aequoreas &c.* Hinc Claudianus IV. Cons. Honor. v. 133.
Haesit Apollineo Delos Latonia partu.

Non te sanguineum quatiens Bellona flagellum
Terret, quadrupedum non te terit ungula Martis;
Caedis amans nec te populat Regnator Averni.
Primitias frugum agricolae, decimamque quotannis
Mittendam servant tibi pleno e mergite partem:
Pulsantumque lyram et laetum paeana canentum
Urbs mittit tibi quaeque choros, qua lucidus undis
Emergit Titan, et qua se gurgite condit;
Quaque procellosos orbis deflectit ad Austros,
Quaque vetus Borea exustas gens incolit oras.
Haec tibi sollemnes gens prima indicit honores,

333 *Non te sanguineum &c.* Delum licet nullo murorum et turrium praesidio, sed solo Apolline munitam, ut supra in v. 30. a bellis et hostium direptionibus immunem fuisse confirmat Herodot. in Erat. et Pausan. in Phoc. exemplo Datis Persarum Satrapae, qui reipsa declaravit quam impense Deos vereretur: nam cum Apollinis signum in navi Phoenissa reperisset, illud statim Tanagraeis in Delum reportandum tradidit.

335 *Caedis amans nec te &c.* Mos erat in Delo, ut mortui non ibi, sed in vicinis insulis sepelirentur: ad quem morem allusisse poëtam volunt viri docti ad hunc locum, ut ejus sensus sit, nullum in Deli insula jus habuisse Plutonem: quod tamen Ernesto non placet, qui Plutonem a poëta induci putat, ut Bellonae et Martis comitem, sensumque esse, nullum in Delo bellum, nullam caedem fuisse. Prima explicatio ingeniosior, altera simplicior, verique similior.

336 *Primitias frugum &c.* Laudat Delum a primitiis et decimis, quae singulari ritu et religione illuc advehebantur ab extremis terrarum gentibus.

338 *Pulsantumque lyram &c.* De choris hisce quos memorat poëta in Delum missis ab omnibus gentibus religionis caussa, videndi praesertim Herodot. lib. IV. cap. 35. Thucyd. lib. III. et Strabo lib. X. Hic, ut alios omittam brevitatis caussa, *celebrem*, inquit, *fecerunt* (Delum) *insulae Cyclades dictae, honoris caussa mittentes sacras legationes, tam victimas et choros Virginum, sollemnesque ibi et magnos agitantes conventus.*

339 . . . . *qua lucidus undis &c.* notat quatuor mundi plagas.

343 *Haec tibi sollemnes &c.* De populis Hyperboreis, et frugum primitiis ab iisdem in Delum missis adeunda classica loca Herodot. l. IV. cap. 33. et seqq. Pausanias lib. I. nec praetereundus Solinus, qui cap. 21. *ajunt*, inquit, *etiam solitos Hyperboreos per virgines probatissimas frugum primitias Apollini Delio missitare*. Plura veterum scriptorum hac de re testimonia vide apud

Spicarum sacros perfecta messe maniplos
Prima ferens; quam longinqua e regione profectam
Excipiunt Dodonaei, gens dura, Pelasgi,
Aerisonum quae servat humi projecta lebetem.
Utque sacros primi frugum excepere maniplos,
In juga subvectant sacramque in Melidos urbem:

Spanhemium. Ab hac autem gente initium fiebat mittendi primitias, quae post per aliorum populorum manus in Delum perferebantur. Neque enim quod haec gens prima indiceret hunc honorem, et prima ferret spicarum manipulos ita intelligendum est, ut prima hanc caeremoniam instituerit, quam ceterae gentes imitatae sint. Hoc verum utique est; sed inferius a poëta fusius narratur, nimirum ad v. 353. et seqq. neque unum cum altero confundendum, ut ex ipso orationis contextu lectori vel non ita acriter intelligenti patet. Nota hic obiter cum Ernesto, ex hac consuetudine primitiarum in Delum advectarum colligi non temere posse Hyperboreos originis Graecae fuisse, et per coloniam in Septentrionem e Graecia ductos.

346 *Excipiunt Dodonaei &c.* In hoc et seqq. versibus ordinem notat, quo Hyperboreorum primitiae in Delum perferebantur. Excipiebantur primo a Dodonaeis, hinc transferebantur in sinum Meliacum, hinc in Euboeam, hinc tandem in Delum. Eumdem ordinem observat etiam Herodot. lib. IV. cap. 33. cui consentit Pausan. lib. I. nisi quod omissa est ab eo Dodonaeorum mentio. Locum refert, et rem fuse suo more tractat Spanhemius. Dodonaei autem Pelasgi, Thessali olim, aut ab iis orti, dicti sunt ex Dodona Epiri urbe in Molossia, seu in Thesprotia, in Thessaliae confinio, qui cum in extremis Graeciae finibus, barbaris, ut Strabo docet l. VII. seu Thracibus ut Dionys. Perieg. v. 429. vicini continerentur, hinc primi omnium Graecorum Hyperboreorum primitias excipere a Callimacho dicuntur.

347 *Aerisonum quae servat &c.* in Dodonaeo nimirum Jovis templo, ubi sacerdotes illotis pedibus et humi cubantes oracula reddebant. In eo templo lebes aereus servabatur, et juxta hunc signum pueri flagellum tenentis, quod vento impulsum lebetem feriebat, ut ex Varrone apud Plin. lib. XXXVI. cap. 13. sub fin. colligitur. Hic lebes a poëta *nunquam tacens*; Dodonaei autem hujus lebetis *ministri* vocantur. Atque haec ad Callimachi locum intelligendum satis: qui de oraculo Dodonaeo, Dodonaeoque lebete plura cupit, adeat Spanhemium ad hunc locum.

349 . . . . *sacramque in Melidos urbem &c.* Melidem oppidum Trachinis esse Scholiastes adnotat. Melidis sinum *Meliensem* Herodot. *Meliacum* Strabo et Stephanus appellant. Montes autem, quorum hic meminit poëta, *petras Trachinias* nominari docet Herod. l. VII. cap. 98.

Hinc oris mare transgressi appelluntur Abantum
Euboicis, quos terra ferax Lelantia pascit;
Nec longo, Dele, hinc distant tua littora cursu:
  Has primum, ut perhibent, ex auricomis Arimaspis
Digressae lecta juvenum comitante caterva
Primitias tulerunt tibi frugum, Aquilonia proles,
Upisque Loxoque, et felix aevi Hecaërge;

---

350 .... *Abantum Euboicis &c.* Lelantus fluvius est Euboeae, et campus Lelantius supra Chalcidem maxime ferax fuisse colligitur etiam ex Theophr. Hist. Pl. lib. VIII. cap. 8. De Abantibus vide quae dicta sunt supra in nota ad v. 25.

352 *Nec longo, Dele, hinc &c.* Nam ut ex Plinio colligitur inter Geraestum Euboeae promontorium et insulam Delum XXVI. millia passuum dumtaxat intersunt.

353 *Has primum ut perhibent &c.* Hujus caeremoniae, primitiarum nempe in Delum advectarum origo. *Arimaspos* nationem Hyperboreorum esse dicunt scholia; Pausan. tamen lib. I. in hujus rei narratione facit finitimos Hyperboreis; nam hasce primitias ab Hyperboreis commissas tradit Arimaspis, ab Arimaspis Issedonibus, et ab his rursus per conterminos populos in Delum deportatas. Erant Arimaspi peritissimi sagittarii, cumque in sagittis dirigendis assidui essent, alterumque oculum, ut fit, clauderent, hinc unicum in media fronte oculum habere crediti sunt. Similis est huic fabula de Centauris. Dicuntur autem a poëta flavi, quod capillos auro ligare consueverant: hinc Lucanus: *auroque ligatas substringens Arimaspe comas*.

356 *Upisque Loxoque &c.* Tres hasce Arimasporum virgines primitias in Delum per longum terrarum marisque tractum primas detulisse post Callimachum tradiderunt etiam Pompon. Mela lib. III. cap. 5. et Plin. lib. IV. cap. 12. sed tacitis virginum nominibus. Herodot. autem lib. IV. cap. 33. duas tantum virgines easque aliis nominibus commemorat, *Hyperochen* nempe, et *Laodicen*. Quamquam aliam mox narrationem subdit, et ex Deliorum quidem, ut ait, sermonibus: duas nempe ab iis antiquiores adhuc memorari Hyperboreorum virgines, quae in Delum venerint, *Argen* et *Opin*: in quo Herodoti loco pro Ἀργην, omnino Ἑκαεργην legendum putat Spanhemius. De Loxo, Upi, et Hecaërge, non tamquam virginibus Hyperboreorum sacra in Delum deferentibus, sed tamquam Dianae comitibus occurrit mentio apud Nonnum Dionysiac. lib. V. ubi fabulam narrat Actaeonis Dianam lavantem videntis. Dicuntur hae virgines filiae Boreae, cujus fabulae origo e Diodoro Siculo petenda est, qui de Hyperboreis, cultoque ab iis sollemni ritu Apolline agens, addit, urbis apud eos imperium, et summam templi Apollinis curam esse penes Boreadas, progeniem Boreae, qui gentili successione principatum ineunt. Boream autem

Nec quisquam patrias posthac remeavit ad oras.
At patriae jactura levis; nam fama perennis
Restat adhuc, nulloque unquam delebitur aevo.
Nam cum dulce canens turbas, Hymenaee, puellas,
Deliades flavo primaevum ab vertice crinem
Tondent virginibus libandum rite Boreis;
Et maribus sectum prima e lanugine florem
Inferias pueri mittunt, decorantque sepulcrum.
Insulae Aegaeo in magno te ture calentem
Assiduo, Asterie, laeta cinxere corona.
Te nunquam strepituque pedum cantuque carentem
Prospicit, auricomus cum se se attollit ab undis
Hesperus, at longe semper lateque sonantem.

---

antiquissimum Hyperboreorum regem fuisse, a quo ceteri reges Borei dicti sunt, ex antiquis ejus gentis monumentis probat Cl. Rudbekius ad hunc Diodori locum: ex quo patet has virgines e regia familia fuisse. Notandum denique easdem in Delum venisse, *lecta juvenum comitante caterva*, quos quinque fuisse tradit Herodot. loc. cit., eosque virginibus additos, non ut primitias in Delum deferrent, sed ut iisdem securitatis et tutelae caussa viae comites ductoresque essent.

357 *Nec quisquam patrias &c.* Herodot. loc. cit. cum isti, inquit, ab Hyperboreis missi non redirent, id indigne Hyperborei tulere. Itaque miserunt qui sacra ferrent ad confines suos, juberentque illos mittere ad aliam nationem, donec gradatim per manus conterminorum accolarum perferrentur in Delum. Plinius loc. cit. addit violatam hospitii fidem: *Virgines*, inquit, *ferebant eas frugum primitias, hospitiis gentium per annos aliquot venerabiles, donec violata fide in proximis accolarum finibus deponere sacra ea instituere, hique ad conterminos deferre, atque ita Delon usque. Mox et hoc ipsum exolevit.*

358 .... *nam fama perennis &c.* Magnam apud Delios famam, et statos sollemnesque honores illae Virgines, earumque comites juvenes sibi promeruerunt. Nam, ut ex Pausan. in Atticis et Herodot. loc. cit. colligitur, consuetudo erat in Delo, ut virgines ante nuptias Hyperboreis istis puellis crinis primitias ad earumdem sepulcra, juvenes autem Hyperboreis juvenibus primam lanuginem tamquam inferias mitterent.

361 ..... *primaevum ab vertice crinem &c.* ἥλικα χαίτην, proprie comam aequaevam: possumus tamen, inquit Stephanus, et *primaevam* interpretari; quod cum aequaeva sit, simul etiam est primaeva. Intellige autem crinis primitias.

369 *Hesperus, at longe &c.* nempe quod ad exortum Hesperi incipie-

Hic Lycio juvenes inflectunt carmina cantu,
Ad Xanthi ripam vates quae luserat Olen
Jam senior, secumque tuas advexit in oras:
Alternos illic cithara moderante puellae
Dant saltus; pulsuque pedum tremit excita tellus.
Tunc etiam effigies Veneris memoranda vetustae
Ture calet multo, et sertis oneratur odoris,
Quam Theseus linquens Minoia regna sacravit.
Namque feros cum mugitus, prolemque biformem
Pasiphaes, caeca labyrinthi ambage soluta,
Cecropidae juvenes fugere, ~~tripudia circum~~ le saltaria circum
~~Tunc aram, Venus alma, tuam plausere canoram~~ Alma Venus, tua voca-
Ad citharam; Theseusque chorum ducebat in orbem. lem plausere choreas
Illius hinc puppis, monumenta aeterna, rudentes,

---

bant choreae, ut alia etiam sacra. Vide hymnum in Cerer. ad v. 8.

371 .... *quae luserat Olen &c.* Hunc Olena e Lycia in Delum appulsum primum auctorem fuisse hymnorum, qui in Delo canebantur, docent etiam Herodot. loc. cit. et Pausan. in Phocic. Non solum in Phrygia, sed etiam in Lycia fluvius erat nomine Xanthus, de quo Virg. Aeneid. IV. v. 143.

Qualis ubi hybernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo.

375 *Tunc etiam effigies Veneris &c.* in sollemnibus nempe, quae in honorem Apollinis in Delo peragebantur, festis, colebatur etiam insigne Veneris simulacrum illuc a Theseo delatum. Ad hunc versum, et seqq. illustrandos locum Pausaniae in Boeot. ex Frischlino exscribo: Est, inquit, et apud Delios Venus ejusdem artificis (Daedali) opus, non magnum sane signum e ligno; et exesa vetustate manu dextera, quadrangulae insistens pro pedibus basi. Crediderim signum hoc a Daedalo Ariadnam accepisse, secumque illud abeuntem cum Theseo asportasse. Theseum certe Delii tradunt Ariadnae ademptum Apollini Delio dedicasse etc.: Lege eadem de re etiam Plutarchum in Thes. De Theseo autem, Minotauro, Labyrintho, Pasiphae Virg. Aen. VI. aliique poëtae sexcenti. De more coronandi floribus aras et statuas Deorum vide dicta ad v. 93. hymni in Apoll.

383 *Illius hinc puppis &c.* Mos fuit Atheniensibus ut quotannis navim sollemni apparatu religionis caussa in Delum mitterent, ut ex Platone demonstrat Erasmus in proverbio, *Canis tamquam Delum navigans*. Haec navis Θεωρις appellabatur, dux sacrae hujus legationis Θεωρος, legatio ipsa Θεωρια, απο τε τα

Quam Theseus tunc, Dele, tuas advertit ad oras,
Cecropidae Phoebo sollemni in munere mittunt.
O sacris arisque frequens, quis, Dele, carina
Tam volucri ~~sulcans Aegaeas institor undas~~
~~Immemori vehitur tua praeter littora cursu~~?
Ille morae quamvis metuens dispendia in altum
Tendat iter, possitque sinus implere secundos,
Vela legit tamen, et sacris allabitur oris;
Nec prius abscedit crebro quam verbere caesam
Aram circumeat, sacroque infigat olivae.

T Aegaeos proscindit navita fluctus, Transeat immemori ut praeter tua littora cursu?

Θεῳ ωρειν, ὁ εστι φυλαττειν: nam ωρα apud veteres, vel ωρη sine spiritu, est *cura*. Hujus ritus origo a Platone sub initium Phaedonis refertur ad Theseum, seu complementum illius voti, quo se ipse cum aliis quatuordecim obstrinxit, si salvi e Creta Athenas reverterentur, *singulis annis sacram legationem in Delum mittere*. Porro dignus est lectu locus Plutarchi in Thes. ubi docet navim, qua Theseus e Creta salvus rediit, usque ad Demetrii Phalerei, qui Callimacho συγχρονος fuit, aetatem conservatam fuisse, et veteri materiae aliam subinde integram suffectam esse, ut philosophis disputandi materiem praebuerit, aliis eamdem, aliis non eamdem manere contendentibus. Hujus vero navis Theseae arma, hoc est funes, rudentes etc. τοτηια της εκεινης, tamquam perennia αειζωοντα ejusdem monumenta, ab Atheniensibus in navi Θεωριδι una cum aliis sacris ferri in Delum, indicare videtur Callimachus.

386 *O sacris arisque potens &c.* Postremo Delum commendat a mercatorum frequentia, quorum per Aegaeum mare navigantium neminem esse ostendit, qui religionis caussa in Delum non commearet, quamvis aut necessitate adactus, aut lucri cupiditate motus alio cursum properaret.

392 *Nec prius abscedit &c.* Mercatorum Apollini rem divinam facientium hic fuit ritus, inquit Graecus interpres, ut circa aram Apollinis currerent, eamque flagellarent, tum manibus in tergum religatis sacrum oleae stipitem morderent; quod ludicrum tripudii genus a Deliaca quadam Nympha repertum esse tradit poëta, ut Apollini infantium more se oblectanti ludendi ridendique materiem praeberet. Huic stultae ridiculaeque caeremoniae non absimilis fuit Panos in Arcadia squillis a pueris flagellati ritus: locus est notatu dignus apud Theocr. Idyll. VII. nec ingratum lectori fore puto, si ejus versus elegantissime a B. Zamagna latine redditos hic adnectam:

..... *propria haec si munera praestas,*
Non tua, Pan, rigidis configant ilia squillis,
Ac latera Arcadiae pueri, cum pinguibus extis
Mensa caret, stimulantque acrem je-

In trunco dentes, manibus post terga revinctis.
Haec olim, ut puero lusus risusque pararet,
Delias invenit Nympha oblectamina Phoebo.
  Cycladas o inter salve pulcherrima, surgens
In media ceu Vesta domo; sit salvus Apollo,
Salvaque Latonae sit proles altera tecum.

---

junia ventrem &c. Callimachi verba ad hunc locum aliter legit Ernestus usus emendatione, quae est in Ed.Ald., ut eorum sensus sit, non ut mercatores Apollinis aram flagellent, sed ut ipsi verberibus discissi aram circumeant, cum intelligi nequeat, quomodo hi mercatores aram flagellarent, qui revinctas post tergum manus habebant. Hujus etiam ritus non semel mentio occurrit apud veteres scriptores. Ita apud Phineatas Arcadas in Cereris Cidariae sacris, Deae sacerdos populares virgis caedere consueverat, teste Pausan. lib. VIII. Ita etiam apud Spartanos illae epheborum ad aram Dianae Orthosiae *μαστιγώσεις*, seu flagellationes, quarum ex Plutarcho, Tertulliano, Simplicio, aliisque meminit Meursius in Graecia feriata. Quae Ernesti lectio et opinio si forte cui verisimilior videtur, pro *caesam*, legat *caesus*. Denique de olea, cujus sacrum stipitem hic a mercatoribus admorsum tradit Callimachus, vide dicta ad v.313.

898 *In media ceu Vesta domo &c.* Vesta insularum hoc loco a poëta appellatur Delus, quod esset in medio Cycladum, ut Vestae sive focus, sive ara in medio aedium apud veteres erat: unde in penetralibus Vesta habitare dicebatur; ita apud Virg. Aeneid.v. v.744. *canae penetralia Vestae*. Vestae autem nomen a Graecis; dicitur enim ab illis *Ἑστία* (hic Ionice *Ἱστίη*) atque eadem est ac Terra, quae nempe immobilis et ipsa est, et ceteris caussa *στάσεως*, *καὶ μονῆς*, idest status mansionisque. Ovid.VI. Fast. v.299.

Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.

HYMNUS IN LAVACRA PALLADIS

A RAYMUNDO CUNICHIO

Latine redditus.

ARGUMENTUM

Puellas Argivas Minervae simulacrum (id impositum in curru sollemni pompa deduci, atque in flumine Inacho ablui solebat) excepturas alloquitur: docet quid fieri opus sit ad sacrum rite conficiendum: monet ne quis virorum spectator accedat; nam, dea conspecta, oculos amissurum: id olim accidisse Tiresiae, cui, filio Chariclus nymphae, qua nulla fuerit Minervae acceptior, deam tamen fortuito visam oculos ademisse.

Ite, age, loturae Tritonidos, ite ministrae;
  Nam modo ego sacras tollere equas fremitum
Audivi: sacro in curru Dea vecta propinquat.
  Ite agedum, flavae, o, ite Pelasgiades.
Diva sibi magnos nunquam abluit ante lacertos,
  Quam niveas, terso pulvere, lavit equas.
Tunc etiam, arma gerens nigro quum foeda cruore
  Dirorum pugna venit ab anguipedum,
Curru solvit equis primum fumantia colla,
  Perluit et largi fontibus Oceani,
Sudorem, guttasque putres, spumamque rigentem

---

8 ... *venit ab anguipedum &c.* Gigantum. Ovid. Met. I.
.... centum quisque parabat
Injicere anguipedum captivo brachia caelo.

Digitized by Google

Ipsa sua tergens candida Diva manu.
Ite, o Achaiades; neve unguenta atque alabastros,
(Auditis ? moto stridor ab axe venit)
Non unguenta Deae, niveos non ferte alabastros;
(Illa uti mixtis non amat unguinibus)
Non speculum; semper speculo sine pulcra Minerva est;
Idaeis nec quum sub Phryge verticibus
Lis fuit, in claro vel se Dea magna orichalco,
Vel Simoënteis vidit in aequoribus.
Nec Juno: aes nitidum cepit Venus una, manuque
Discrevit lenta disposuitque comam.
At spatia exhausit centum bisdenaque cursu
Pallas, ad Eurotan ut Lacedaemonia
Astra; dehinc tenui corpus perduxit olivo,
Illi arbos purum quod sua progenuit.
Igneus, o puerae, fulsit rubor; ut rosa mane,
Punica vel scisso cortice grana rubent.
Et nunc ergo marem tantum proferte liquorem,
Quo Castor, quo vis ungitur Herculea.
Adsit et aureolus pecten, quo fingere pulcre
Possit, et humentem tergere diva comam.
Exi agedum, Pallas; praesto est chorus innuptarum
Jam tibi, magnorum sanguis Acestoridum.
Magna Minerva, exi; tibi jam clypeus Diomedis
Fertur; ut Argivos ille patres docuit
Eumedes olim, gratus tibi, Diva, sacerdos;
Qui quum in se populi gliscere consilium

---

24 . . . *ut Lacedaemonia Astra*. Castor et Pollux, illi, ut Horatius vocat Oda 3. lib.I. *fratres Helenae, lucida sidera*.

34 . . . *magnorum sanguis Acestoridum*. Graecus Callimachi interpres ait, Acestoridas fuisse tribum Argivam, ex qua hae virgines Palladis ministrae deligebantur.

37 *Eumedes olim &c.* Docet Eumedem horum sacrorum inventorem fuisse: hunc, Argivis in eum conspirantibus, Palladis simulacro secum ablato, in montem Crium profugisse, atque ibi Deam collocasse; ex qua rupes illae dictae sint Pallatides, sive Palladiae.

Sensit atrox, mortem vitans, fugitque, tuamque
Crias in rupes abstulit effigiem.
Crias in rupes; praeruptis, Diva, locans te
Cautibus, est nomen queis modo Pallatisin.
Exi age jam Pallas, bellatrix, casside fulgens
Aurata, et clypeûm laeta et equûm strepitu.
O, quae fertis aquam, ne flumina tangite: linquat
Flumina, fontanas et bibat Argos aquas.
Longe urnas hodie, famulae, sive ad Physadiam,
Sive ad Amymonen ferte Danaiadem.
Nam volvet mixtas auroque et floribus undas
Inachus, eque almis montibus adveniet
Pulcra fluens Divae. Tu lumina verte, Pelasge,
Verte alio, imprudens ne videas dominam.
Aspiciet quisquis dominam temere urbipotentem,
Tum postremum Argos viderit Inachium.
Magna Minerva, exi: interea quamdam ipse puellis
Narrabo prisci temporis historiam.
Nympha, puellae, olim Thebis fuit, una Minervae
Cara magis cunctis, quotquot erant comites,
Mater Tiresiae. qua nunquam diva carere
Quibat; quam (sive ad moenia Thespiadum,
Sive Coroneas iret, seu forte Haliartum
Boeotum curru culta secans rapido;
Sive Coroneas, ubi lucus fragrat odore
Olli, stantque arae Curalium ad fluvium)
Saepe Dea curru secum tollebat eodem:
Nullum et Nympharum colloquium, aut thyasus

---

45 *O, quae fertis aquam &c.* Alloquitur mulieres, quae in privatos usus aquam ex Inacho haurire solebant, easque monet, ut ex Physadia, aut ex Amymone, cui fonti Amymone Danai filia nomen fecit, aquam petant. Inachum enim hodie non hominibus, sed Deae fluxurum multo, quam soleat, ditiorem ac pulcriorem.

63 *Sive Coroneas &c.* Ita accipiendum, ut si diceret: *Sive, inquam, Coroneas*. Sed vereor ne locus sit corruptus.

Gratus erat, Nymphas ni duceret alma Chariclo.
  Parca tamen luctum neverat, heu, miserae
Huic quoque, fida comes quanquam foret usque Minervae:
  Namque olim peplos utraque dissoluit,
Aestatemque undis Aganippidos Hippocrenes
  Lenibant, medio dum tacet aura die;
Lenibant aestatem ambae ferventibus horis,
  Dum late montem possidet alta quies.
Solus adhuc, juvenem catulis comitantibus, ibat
  Tiresias, sacra se per loca circumagens:
Atque siti aridulus longa prope flumina venit,
  Nec sponte, infelix, vidit in amne Deam.
Quem, flagrante ira, tamen est adfata Minerva:
  Nam quis te amissis hinc rediturum oculis,
Quis malus, Everida, haec te Deus in loca duxit?
  Sic ait: at puero nox premit atra oculos.
Obstupuit; vox pressa; artus tremuere, comaeque
  Horrent verborum consiliique inopi.
Nympha sed exclamat: quid mi, Dea, quid, Dea, gnato
  Fecisti? Haec divûm est, haeccine amicitia?
Lumina mi surpsti pueri. puer adspexisti,
  O puer infelix, Pallada; sed rutilam
Haud lucem adspicies posthac. heu perdita mater!
  O mons! o Helicon nunquam adeunde mihi!
Magna empsti parvo; paucis pro dorcasi, paucis
  Pro cervis, heu! heu! lumina habes pueri.
Sic dulcem ambobus gnatum complexa lacertis,
  Qualis moesta Itylum flet Philomela, parens.

---

81 *Quis malus Everida &c.* Tiresias ab Apollodoro lib. 3. Euerei filius fuisse dicitur.

91 *Magna empsti parvo &c.* Magnum est, inquit, o Helicon, id quod aufers, parvum id quod dedisti. En quid filius meus, dum in te venatur, lucratus est: paucas capreas et cervos abs te abstulit, suos tibi oculos reliquit. Quibus verbis significatur Tiresiae magno stetisse venationem, quae illi occasio fuerit caecitatis.

Triste gemens flebat. sociam miserata Minerva
Solata est dulci comiter alloquio.
Nympha, iram cohibe, muta et quaecumque loquuta es:
Non tibi ego puerum, non ego nocte premo:
Nec puerorum oculos venari est dulce Minervae:
Saturnus legem condidit hanc senior:
Aspiciet quicunque Deum, nisi si volet ipse
Cerni, continuo det grave supplicium.
Quare hoc, Nympha, ulli non est revolubile Divûm
Quod nevit laeva Parca severa colu,
Fudisti puerum quum vitae in lumina: tuque
Everida tibi debita fata feras.
O quot Cadmeis frustra dona ingeret igni!
O quot Aristaeus! quam sibi discupient
Unigenam impubem vel caecum Actaeona reddi!
Ille comes Triviae scilicet, ille bonus
Cursor erit; sed nil cursus, nil tela juvabit
Fortia cum magna saepe tulisse Dea,
Viderit ut primum, nec sponte, lavacra Dianae:
Namque canes dominum protinus insilient,
Discerpentque, avideque vorabunt: montibus errans,
Vix tandem inveniet quae legat ossa parens;
Et te felicem fortunatamque vocabit,
Vel caecus rediit cui puer e nemore.
Ergo, cara, istos fletus jam supprime; donis
Hunc ego te propter grandibus adficiam.
Esse dabo vatem clarum per saecula, se se
Cui nemo e cunctis vatibus aequiparet.
Namque avium omne genus noscet, quae prospera, quaeque
Irrita, vel tristi laeva sit augurio;
Multaque Boeotis oracula, multaque Cadmo

---

107 *O quot Cadmeis &c.* Autonoe Cadmi filia, uxor Aristaei, mater Actaeonis.

Concinet, ac magnis postea Labdacidis;
Ingentem et baculum, jusso qui tramite gressum
Dirigat, et vitae tempora longa dabo:
Et fatuos inter sapiet post funera manes,
Unus magni aula clarus in Agesilae.
Sic ait, et nutu sancivit dicta. ratum fit
Quod nutu sancit cunque Minerva. dedit
Juppiter hoc uni prae cunctis nempe Deabus,
Quas genuit; potis est quod pater, illud idem
Posse. Jovis Pallas prognata est vertice; vertex
Quod Jovis adnuerit, quodque Minerva, ratum est.
En venit, en tandem, nec fallor, Diva: puellae,
Vos illam, cordi est si patria, excipite
Cum votis plausuque et laetifico ululatu.
Salve, Diva, urbi sis bona et Inachiae:
Salve, quumque exis, quumque alta ad moenia rursum
Flectis equos; servaque, o bona, rem Danaûm.

---

126 . . . *ac magnis postea Labdacidis &c.* Labdacus fuit pater Laii, avus Oedipi, proavus Eteoclis, qui omnes Thebis regnarunt.

128 . . . *tempora longa dabo &c.* Tiresiam alii septem, alii novem aetates vixisse tradunt.

129 *Et fatuos inter sapiet &c.* Homerus Odyss. lib. 11. tradit, Tiresiam apud inferos solum sapere, caeteros umbrarum vagari modo.

130 . . . *aula clarus in Agesilae.* Agesilas, sive Agesilaus est unum ex nominibus Plutonis.

HYMNUS IN CEREREM.

ARGUMENTUM.

Laudaturus Cererem Poëta initio docet, qua animi attentione et reverentia ejus sacra peragere conveniat. Deinde errores Cereris in quaerenda Proserpina filia, tum ejusdem inventa humano generi ad vitam degendam pernecessaria breviter perstringit. Ut autem ab impietate deterreantur homines, et ad amorem religionemque Cereris excitentur, Erysichthonis famem persequitur, qua severissime a Cerere punitus ille fuit ob violatum sacrum sibi lucum. Qua quidem in digressione maximam hymni partem impendit: postremo ad matronas, quas hymni initio alloquitur, sermonem rursus convertit, iisque Cererem precandi formulam quasi praescribit.

Jam calathus procedit: io jam dicite matres,

1. *Jam calathus procedit &c.* Cum Eleusinis Atticae urbis Rex Eleusius (alii Celeus) Cererem filiam suam quaerentem liberalissime hospitio suscepisset, illa pro munere ostendit ei omne genus agriculturae; filium etiam ejus Triptolemum recens natum per noctem igne fovit, per diem divino lacte nutrivit; cumque grandiusculus factus esset, currui suo, quem alati trahebant dracones, impositum per totum orbem misit ad usum frumentorum hominibus indicandum. Fabula nulli non obvia apud poëtas et mythographos. Ob hujus beneficii memoriam templum Cereri dedicatum fuit, et sollemnia sacra Eleusine instituta, quae inde Eleusina appellabantur. Thesmophoria, de quibus in hoc hymno, et ipsa erant Cereris sacra, diversa tamen ab Eleusinis, ut observat Spanhemius, ita dicta a Θεσμος *lex*, et φερω *fero*. Prima enim Ceres leges tulisse dicitur inter homines, qui ante frumenta sine lege vagabantur; ex agrorum autem divisione nata sunt jura, ut docet Macrob. 3. Saturnal. cap. ult. Porro horum Thesmophoriorum, quorum sollemnitas diebus quinque constabat, ritus erat, ut sollemnis Cereris calathus, in quo ejus mysteria erant, in curru a quatuor equis albis tracto vehere-

Salve, Diva potens frugum: vos mystica sacra,
Dum calathus procedit, humi spectate profani.
Sive puer, seu diffusis per colla capillis
Femina, stans tecti in summis non audeat ullus
Culminibus, vel tum vacuae potuque ciboque

---

tur. Praeter hunc calathum, alios etiam calathos, seu calathiscos spicarum et florum plenos gestare consueverant nobiles Virgines, quae et ipsae ferebantur in curru, et *canephorae* dicebantur. Currum vero sequebantur mulieres cistas mysticas bajulantes, et *cistophorae* appellatae, quas cum *canephoris* perperam a nonnullis confundi observat Th. Graev. Vide adnotationes Spanhemii ad hujus hymni vs. 1. 3. et 127.

Ibid. ... *dicite matres &c.* a quibus nempe solis sacra Cereris Thesmophoria peragi licuit exclusis viris; diversa enim, ut diximus, Thesmophoria, de quibus hic a poëta agitur, fuerunt ab Eleusinis, quibus initiari solebat uterque sexus. Si plura hac de re, et classica praesertim scriptorum loca doceri cupis, consule doctissimas Spanhemii adnotationes.

3 ... *humi spectate profani*. Cerealem calathum, qui sollemni pompa per urbem circumferebatur, *profani*, hoc est, qui sacris Cereris initiati non erant, e tecto vel superioribus aedium coenaculis spectare vetabantur, contra quam fieri soleret in aliis sacris, quorum pompam ex editioribus etiam locis vulgo videre fas erat. Ratio autem, cur hic calathi processus humi a profanis spectandus esset, haec Spanhemio esse videtur, quod cum Ceres, quae a Graecis Δημήτηρ, quasi Γημήτηρ dicta est, non alia esset nisi Tellus omnium mater ac nutrix; proinde spectatores in terra, vel in aedium vestibulis stantes aut sedentes flagitaret.

4 ... *seu diffusis &c.* His verbis meretrices notari a poëta putat Frischlinus, quas capillos dispergere, aut fuco meretricio perfundere solitas fuisse inquit, cum honestae virgines ac matronae neutrum facerent. Simplicior videtur opinio Spanhemii, qui statuit Cereris sacerdotes, quae hisce sacris operabantur, vittis redimitas fuisse, quod confirmat cum ex Juvenal. Satyr. VI. v. 50.

Paucae adeo Cereris vittas contingere dignae,

hoc est, ut ibi vetus Scholiastes, quae possint esse Cereris sacerdotes, tum ex aliis auctoribus, quos vide apud illum. Hinc poëtae sensum esse colligit, excludendas esse a sacris Cereris mulieres, quae comas non religabant, hoc est, quae Cereris sacerdotes non erant; iisque aeque ac pueris licere tantum, ut calathi processum humi spectent, vel sequantur usque ad Prytaneum urbis, ut infra ad v. 151.

6 .... *vel Tum vacuae potuque ciboque &c.* Vetantur etiam spectatores Cereris calathum praetereuntem jejuni aspicere; idque mali ominis vitandi ergo; ne nimirum jejunii, quod in quaerenda filia Ceres egit,

Arescunt fauces, Cereales visere ritus.
Hesperus e caelo calathum prospexit euntem;
Hesperus, errantem qui Divam scilicet unus
Impulit, ut sitiens liquidis os tingeret undis,
Dum caeca ereptae sequitur vestigia natae.
Quî fessi potuere pedes te sole calentes
Occiduo in terras transmittere, Diva, nigrosque
Aethiopes, vel qua felicibus aurea silvis
Poma rubent? Quae non labentia flumina tranas?
Quae non sollicito conscendis inhospita cursu

Aversata famem structis restinguere mensis.
Nec libans flumen;

ut infra ad v.20. intempestive memoriam illi refricarent. Ceterum hoc interdictum ad horum sacrorum spectatores tantummodo respiciebat, non ad mulieres sacris operantes, quibus contra indicebatur jejunium tertia Thesmophoriorum die, quae dies νηστεία inde dicta, hoc est jejunium, ut ex Plutarcho, Athenaeo, aliisque monet in Graecia feriata Meursius. Hujusmodi jejuniorum in Cereris sacris mentionem factam esse apud veteres scriptores vide apud Spanhemium, ubi etiam ex Athenaeo aliisque leges religiosissime protracta fuisse usque ad Hesperi exortum.

8 *Hesperus e caelo &c.* nam vespertino tempore Canephorae deferebant calathum, in curru ad templum Cereris prodeuntes: ipsa deinde sacra noctu peragebantur; unde *mulierum opera nocturna* vocantur ab Aristophane Θεσμοφ.

9 *Hesperus, errantem &c.* Hoc indicat Callimachus, Cererem, dum filiam quaerit et raptam luget, usque ad Hesperi exortum abstinuisse aliquandiu prae moerore ab omni potu et cibo.

11 *Dum caeca ereptae &c.* Fabula de Proserpina a Plutone rapta et Cerere eam per totum orbem quaerente notior est, quam ut hic mereatur referri.

14 ... *vel qua felicibus aurea &c.* Mauritaniam indicat Africae regionem, ubi Hesperidum horti, et auriferum illud nemus cum aureis malis, quae a pervigili dracone custodiebantur. Praeter poëtas vide Plin. lib.v.cap.1. Solin. cap.27. etc. Hunc versum alius sequitur, cujus hic sensus: *non bibisti, nec edisti eo tempore, nec lavisti*, quem cum Ruhnkenio Epist. Crit.11. tamquam spurium praetermisi; nec sane desideraretur si abesset, cum eadem sententia occurrat infra ad v. 20. Sequentes versus usque ad 19. corruptos esse suspicor: unum ex iis supposititium esse arbitratur Ernestus. Ea videtur fuisse Callimachi mens, ut Cererem errantem ostenderet per omnes terras et per omnes fluvios; quam ego ob oculos habens parum de verborum prout jacent ordine servando sollicitus fui.

Culmina ? ter vitreas Acheloi trajicis undas ,
Trinacriam relegens mediam ter moenia visis
Ennae , Callichori ter fessa in fonte residis ,
Aversata famem structis restinguere mensis ,
Nec libans flumen , nec tergens flumine corpus .
Sed quid ego haec Cereri nequidquam ingrata revolvo ?
Quin potius canimus , gratis ut legibus urbes
Fundarit , sacros spicarum prima maniplos
Succidens , validisque terens frumenta juvencis ?

17 . . . . *ter vitreas Acheloi &c.* Achelous Graeciae fluvius celeberrimus, qui e Pindo Thessaliae monte oriens Aetoliam ab Acarnania dividit, et duobus alveis per fines Perraebiorum in sinum Meliacum defluit. Plin. lib. IV. cap. I. Strabo lib. X. Fabulam Acheloi ab Hercule victi vide apud Ovid. Metam. lib. IX.

18 . . . . . *ter moenia visis Ennae &c.* Enna urbs in media Sicilia celebris templo Cereris, a quodam Enno Syracusano condita. Siciliae *umbilicum* vocat Callimachus. Cic. in Verrem lib. IV. loquens de Sicilia Cereri consecrata, Ennensium nemoris, ex quo Proserpina rapta est, mentionem facit, *qui locus*, inquit, *quod in media est insula situs, umbilicus Siciliae nominatur*.

19 . . . . *Callichori ter fessa in fonte &c.* Callichorum (si tamen hic versus sic a Callimacho scriptus est, quod Ernestus non credit) interpretes ex Pausan. lib. I. puteum quemdam Atticae esse dicunt, ubi primum Eleusiniorum chorum mulieres instituerunt, et Cererem cantu veneratae sunt.

22 *Sed quid ego haec &c.* Est ἀποδίωξις, qua tristem lugubremque narrationem a sollemni Cereris sacro rejicit. Nihil enim in veterum sacris majori religione cautum fuisse constat, quam ut ab iis longe abessent omnia mali ominis verba; atque ab his Thesmophoriis praesertim, ne luctum ea Cereri renovarent. Hinc sacra haec non sine choreis, tripudiis, et scommatibus a mulieribus θεσμοφοριαζούσαις peragebantur, ut allatis veterum scriptorum testimoniis confirmat Meursius in Graecia feriata, atque ut ex Livio colligitur, qui lib. XXII. cap. 56. *adeo*, inquit, *totam urbem* (post nuntium Cannensis cladis) *opplevit luctus, ut sacrum anniversarium Cereri intermissum sit, quia nec lugentibus id facere est fas, nec ulla in illa tempestate matrona expers luctus fuerit*.

23 . . . . *gratis ut legibus &c.* De legibus a Cerere inventis, unde ipsa Θεσμοφόρος, ejusque sacra Θεσμοφόρια dicta sunt, vide adnotata ad v. I. Celei puer est Triptolemus, de quo vide dicta ibidem.

25 . . . . . *terens frumenta juvencis &c.* Tritura olim bobus et jumentis peragebatur non solum apud Graecos, sed et apud Syros, Arabes, Aegyptios, et Hebraeos. Hinc lex Mosis Deuteron. XXV. 4. *Trituranti bovi os non obligabis*.

Utile cum Celei puero monstravit aratrum?
Quin canimus dantem meritas, Eryſichthona poenas,
Et (miserum visu!) ora fame pallentia, ne quis
Audeat exemplo monitus contemnere Divos?
Nondum rura Cnidi, sed Dotî sacra Pelasgi
Moenia servabant; densis ubi frondibus ater,
Vix telis penetrandus erat, ~~[illegible]~~ parentum
Relligione sacer lucus. hic ardua pinus,
Hic ingens ulmus, pulcris melimelaque stabant
Mixta piris: saxo fons ~~prosiliebat~~ ab alto
Garrulus, electro similes torquebat et undas:
Carus erat Cereri lucus: tam carus, ut illi
Non Triopum cordi, aut Enna, aut magis esset Eleusis.

Cererique
erumpebat

---

27 . . . . . *meritas Eryſichthona poenas &c.* Quod Callimachus et Ovidius de Eryſichthone, veteres Graeci et Hyginus de Triopa ipsius patre dixere; atque Hyginus quidem insatiabili fame Triopam affectum esse dicit non ob nemus, sed ob templum Cereris dirutum, Astronom. XIV. Cum Callimacho tamen consentit Lycophron, qui loquens de Eryſichthonis filia βεττειαι, inquit, αλθαινεσκον ακμαιαν πατρος. Eruditus lector, et graece latinaeque poëseos studiosus conferat hanc Callimachi de Eryſichthonis fame descriptionem cum Ovidiana ejusdem argumenti Metam. lib. VIII. Quid in utraque admiretur inveniet; neque tamen ita facile Scaligero subscribet, qui Poëtices v. 8. primas Ovidio concedit. Nativa quaedam in Callimacho simplicitas et castigatior venustas affulget, major in Ovidio, qui Callimacho certe ingeniosior fuit, ornamentorum copia sententiarumque luxuries, felicissima illa quidem, sed luxuries tamen.

30 *Nondum rura Cnidi &c.* Etenim Triopas nondum in regionem Cnidiam transmigraverat quo coloniam deduxit post datas ab Eryſichthone filio poenas ob violatum Cereris lucum. Vide Diodor. Sicul. lib. V. Biblioth. et Pausan. lib. X. Cnidus autem urbs Doridis in Caria, sacra Veneri, ut patet ex Horatiano illo: *O Venus Regina Cnidi Paphique* lib. I. od. 30. Vide Strab. lib. IV. Dotium urbs Thessaliae: campi Dotii mentionem facit Strabo lib. IX. et Plin. lib. IV. cap. 9. Sacrum autem appellat Dotium poëta ob lucum Cereri sacrum ibi a Pelasgis collocatum antequam e Thessalia Cnidum commigrarent.

38 *Non Triopum cordi &c.* Ante laesam ab Eryſichthone Cererem nulla adhuc erat hoc nomine urbs in Caria, cum nondum ejus pater Triopas, qui urbem fertur condidisse, eo e Thessalia commigrasset. Est igitur προχρονισμον poëtis

Ast Triopae Deus infesto cum numine prolem
Urgeret, miserum mala mens Erysichthona cepit.
Bisdenis ibat famulis comitatus, ab imo
Totam qui possent urbem subvertere fundo,
Anguipedum paribus, primoque vigentibus aevo.
Jamque nemus palma ancipites utraque secures
Stringentes, ausique nefas immane subibant.
Populus aërio contingens vertice caelum
Forte erat in luco, cujus sub tegmine Nymphae
Ludebant, medium cum sol pulsabat Olympum.
~~Nec mora: sublatis sonat icta securibus arbo~~s.
~~Triste gemens; Cereris gemitus~~ vix venit ad aures,
~~Infremuit~~, nostramque, inquit, quis caedere silvam
Audet? tum forma in Nicippam vertitur oris,
Curabat quae sacra sibi templumque sacerdos;

Haec primum sonat icta, et idem portendere fatum Visa aliis: sonitus Cereris

Cum fremuit

---

usitatum, ut docet Salmasius ad Inscription. Herod. In hac autem urbe cultam esse Cererem, ut Eleusine et Ennae, docet hoc loco Callimachus, cujus tamen rei nulla, ut observat Spanhemius, alibi occurrit mentio. De Eleusine dictum ad. v. 1. de Enna ad v. 18.

40 ... *mala mens Erysichthona cepit*. Intellige malum hominis genium, et pravam cupiditatem, cui cum Deus offensus et iratus homines impios relinquit, cujusmodi erat Erysichthon, utpote qui *numina Divûm sperneret, et nullos aris adoleret honores*, atrocissimis se illi sceleribus contaminant, atque in interitum ruunt voluntarium.

43 *Anguipedum paribus &c.* hoc est Gigantum, quos pedes in anguium volumina desinentes habuisse finxerunt poëtae; quo significarent, ut ait Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 20. nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vitae eorum gressu atque processu in inferna mergente ~~Vide locum Ovid. ad v. 8. hymn. in Lavac. Pall. Gigantes autem appellari solere a poëtis homines, qui in Deos furere ausi sunt. Vide hymn. in Delum ad v. 200.~~

52 ... *tum forma in Nicippam &c.* Virg. Aeneid. lib. IX. v. 646.

... forma tum vertitur oris
Antiquum in Buten.

53 *Curabat quae sacra sibi &c.* Hunc locum paullo tamen liberius expressit Virg. Aen. VII.

..... in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscaenam rugis arat: induit albos
Cum vitta crines, tum ramum innectit olivae;
Fit Chalybe Junonis anus, templique sacerdos.

I. Sic etiam Ovid. Met. I. Gigantes vocat Anguipedes: ... centum quisque parabat Injicere anguipedum captivo brachia caelo.

Et vittasque manu capiens sacrumque papaver,
Suspendensque humeris clavem sic farier infit,
Lenibus insanum mulcens Erysichthona verbis.
O Superûm audaci caedis qui robora ferro,
Parce puer; puer o seniorum cura parentum,
Parce sacrum temerare nemus, famulosque minaces
Hinc prohibe; ne sacra sibi si robora cernat
Strata Ceres doleat, poenamque offensa reposcat.
At juvenis placido dicentem talia vultu
Saevior aspectat, quam torva leaena sub antris
Ante diem catulos Tmariis enixa tuetur
Venantem, quo non obtutu immanior alter.
Atque hinc, ne validam media in cervice securim
Impingam tibi, cede, inquit; mihi robora pulcrum
Ista tegent conclave; ut tecto laeta sub alto
Cum sociis agitem assiduis convivia mensis.
Sic ait; at Nemesis poenis mulctanda severis

---

54 ..... *sacrumque papaver &c.* quod *Cereale* appellat etiam Virg. Georg. lib. I. v. 212. Sacrum erat Cereri propter fertilitatem, cujus etiam symbolum erat, ut ex Porphyrio tradit Eusebius.

55. *Suspendensque humeris clavem &c.* Clavem ab humeris pendulam habebant sacrarum aedium custodes, atque κλῃδοῦχοι, seu *clavigerae* dicebantur. Sic Iphigeniam, quae futura erat Dianae Tauricae Athenas delatae sacerdos, *clavigeram Deae fore* dicit Euripid. Iphig. Taur. v. 1463.

64 *Ante diem catulos &c.* ὠμοτόκος proprie leaena *crudipara*, ut hujus vocis interpretes loquuntur, hoc est crudum, immaturum partum edens, abortiens; sed ut ὠμὸς non tantum significat *crudus*, sed per metaphoram etiam *rigidus* et *saevus*, ita hoc loco ὠμοτόκος explicari potest leaena saevos partus enixa, ut eamdem vocem reddidi in v. 145. hymni in Delum.

Ibid. ... *Tmariis enixa &c. Tmarus*, qui et *Tomarus* dicitur, mons est Thesprotiae, de quo Strabo l. VII. eumdem Dodonae montem esse tradit Plin. lib. IV. cap. 2. cum Strabone consentiens; Dodona enim Thesprotiae civitas. Vide hymn. in Delum ad v. 346.

70 ...*poenis mulctanda severis &c.* Nemesis Dea ultrix male factorum, et praecipue superbiae: ipsa vox indignationem significat. Eadem est quae Adrastea, ita dicta ab Adrasto Argivorum rege, qui primus ei templum dedicasse dicitur, vel ab ἀδράστης, *alienus a fuga*, quia ultionis necessitatem mali homines fugere non possunt, ut Apul. de mundo

Verba notat, subitaque Ceres exaestuat ira : succenditur
Fit Dea ; progrediturque solo et caput inserit astris.
Tum juvenes [illegible] metu retroque ruentes fractique
Ut videre Deam, temerato in cortice ferrum
Semianimes linquunt. alios nihil illa moratur,
Quos domini in facinus furor impius egit, at ipsum
Auctorem sceleris dictis incessit amaris.
Euge sacrum prosterne nemus, dapibusque parandis
Hinc ingens molire, canis foedissime, tectum;
Crebrae etenim tibi dehinc epulae, mensaeque frequentes.
  Tantum effata gravem penita in praecordia pestem,
Et rabiem juveni furibundam injecit edendi.
Languescunt turpi juvenilia corpora tabo,
Et rabidi vix dum relevat jejunia ventris,
Jamque inhiat rursum positis accumbere mensis.
Fercula bisdeni, bisseni pocula Baccho
Plena parant famuli; meritas nam Bacchus in iras
Surgit cum Cerere, et noxam indignatur eamdem.
Jam miseros natique pudet morbique parentes;
Laetaque collato comites convivia sumptu

---

interpretatur. Dicitur etiam Rhamnusis, cujus appellationis caussam vide in hymno in Dianam ad v. 273.

78 *Euge sacrum &c.* Sarcasmus, quo Erysichthoni Ceres insultat, et famem horribilem comminatur: *crebrae .... tibi dehinc epulae &c.* eadem nimirum verba regerens, quibus insanus ille helluo Deam sub Nicippae habitu latentem laeserat. Ita etiam Alecto ad Turnum apud Virgil. Aen. VII. *En ego victa situ, quam veri effeta senectus &c.*

87 .... *meritas nam Bacchus in iras &c.* Non solum fame, sed siti etiam pressum Erysichthonem esse inquit poëta; quod qui Cereri invisus, invisus idem esset et Baccho. Cujus rei ratio videtur esse, quod Baccho essent communia cum Cerere sacra, ut tradit Scholiastes Sophoclis in Antigone.

90 *Laetaque collato &c.* coenas nempe ex symbolis, hoc est ex pecunia, quam sodales simul coenaturi pro se quisque conferunt. Ab hujusmodi coenis, a nuptiarum publicorumque ludorum conviviis Erysichthonem parentes removebant ob ejus ingluviem verecundantes, veramque caussam fictis nominibus praetexebant. Caveant liberi ne turpiter viventes parentibus opprobrio sint: caveant pa-

Si qua parant, natumque vocant, natum ire recusant,
Et turpem ficto praetexunt nomine morbum.
Forte ad Itoniados certamina Palladis ibant
Ormenidae, juvenemque arcessunt: anxia mater,
Natus abest meus hinc: etenim sua nomina centum
Exactum hesternus petiit Cranona juvencos.
~~Connubio jungens natum Actoriona Polixo,~~
~~Ipsa etiam ad festum et Triopam geniale~~ vocabat,
Et Triopae natum: lacrimis at mater obortis,
Adveniet Triopas, ait; ast Erysichthona Pindi
Sub clivo percussit aper, nonamque reduxit
Sol lucem, nec dum obductum est medicamine vulnus.
Infelix, quaenam tibi non mendacia, mater,
Suadet amor? festis convivia lauta diebus

---

rentes ne ob nimiam in liberos indulgentiam suam in discrimen existimationem adducant.

93 *Forte ad Itoniados, &c.* Minervae Itoniae, seu Itoniados insigne fanum erat ad urbem Boeotiae Coroneam, ubi sollemnes in ejus honorem agones celebrabantur. Ita enarratores Apoll. ad lib. I. v. 551. ubi etiam tradunt Itoniam dictam esse Minervam ab Itone Thessaliae urbe, in qua etiam fanum habebat: iidem tamen ad v. 721. ita primum appellatam esse docent ab Itonio quodam sacerdote Amphictyonis filio, a quo etiam illa Thessaliae urbs nomen accepit. Verum de hoc Critici viderint; hic de Minerva Itonia, quae in Thessaliae urbe colebatur, sermonem esse patet ex versu sequente.

94. *Ormenidae &c.* Thessali igitur erant non Boeoti. Ormenidae enim sunt Ormeni posteri: Ormenus autem Aeoli nepos, et Amyntoris pater Ormenio oppido nomen dedit, quod inter Pheras et Larissam in Thessalia situm erat. Primum illud docent Pausan. lib. I. et Eustathius ad Iliad. lib. II. v. 332. hoc alterum Strabo lib. IX.

95 .... *etenim sua nomina &c.* τέλθος ἀπαιτῶν, *creditum exacturus*. Pecunias sive debitas sive creditas *nomina* dixerunt latini, quia nomen ejus qui pecuniam acceperat in tabulis rationum perscribebatur, ut inquit Ascon. in Verr. 3. cap. 10. Hinc apud Ciceron. lib. VI. ad Attic. ep. 2. *nomen solvere*, et lib. XVI. ep. 6. *expedire, exsolvere*, et quod magis ad rem nostram facit, loc. cit. in Verrem *nomina sua exigere*. De Cranone Thessaliae urbe vide adnotata in hymno in Delum ad v. 166.

97 .... ~~Natum Actoriona Polixo~~ *&c.* Non una apud scriptores Polixo; nulla tamen, inquit Spanhemius, quae mater fuerit Actorionis occurrit: hinc de qua hic sermo sit, satis liquidum non est.

Num quis agit? num quae juveni nova nupta marito
Ducitur? aut patriis Erysichthon cessit ab oris,
Aut ictus disco, aut curru delapsus ab alto est,
Othrysias aut visit oves, numerumque recenset.
Abditus interea patriis nova fercula tectis
Usque vorat juvenis, morbumque irritat edendo.
Utque maris tellus in vastum flumina fundum,
Ingratas sic frustra epulas demittit in alvum.
Ac veluti in celso cum nix collecta Mimante
Solvitur, effigies aut cerea sole liquescit;
Haud secus, atque adeo macie confecta suprema
Membra magis tabent, donec ~~cutis ossaque tantum~~
~~Restiterant misero languentibus arida nervis.~~
Flebat inexpletum mater, geminaeque sorores,
Et famulae bis quinae, et luctu perdita nutrix.
Ipse autem manibus vellens e vertice canos
Irrita Neptunum Triopas in vota vocabat.
Vane parens, natique tuique oblite nepotis,

P nihil ossaque praeter
Languentesque tegit misero
cutis arida nervos.

---

108 *Othrysias aut visit oves &c.* Mon' T. essaliae Othrys. Plin. lib. IV. cap. 8. Ejusdem meminit Virgil. Aen. VII. v. 675. *Othrynque nivalem* appellat; et Martialis, ubi ait lib X. epigr. 7. *Quicumque Othrysias bibunt pruinas.* Neque vero mirabitur quispiam, quod Regis filius ab ejus matre dicatur pecus numerare, modo frugale veterum mortalium vivendi institutum consideret. Ita Proteus Aegypti quondam rex, ut ab Euripide vocatur Helen. v. 4. ovium numerum recenset apud Homerum Odyss. lib. IV. v. 451. et apud Virg. Georg. lib. IV. v. 436.

Consedit scopulo medius, numerumque recenset.

110 . . . *morbumque irritat edendo &c.* quod ita expressit Ovid.

Plusque cupit, quo plura suam demittit in alvum.

utitur etiam eadem, qua Callimachus, similitudine:

Utque fretum recipit de tota flumina terra,
Nec satiatur aquis &c. P

P Infra, quos edebat Erysichthon, cibi vocantur ingrati ἀχάριστα εἴδατα, quia nullum ipsi ex iis accedebat nutrimentum.

113 . . . *cum nix collecta Mimante &c.* De Mimante monte vide adnotata in hymno in Delum ad v. 67.

122 *Vane parens &c.* Triopae nimio dolore victi ac de filii sanitate desperantis ad Neptunum parentem oratio, non absimilis Aristaei ad Cyrenem matrem orationi: *Mater, Cyrene mater &c.* quam lege apud Virg. Georg. lib. IV. v. 321.

Si Canaces vere Aeolidos vocor ipse, tuusque,
Ut perhibes, natus; miserum, Neptune, nepotem
Aspice, quem telis utinam fixisset Apollo,
~~Elevissemque ipse, et cineri suprema tulissent~~
Nunc oculis sedet, et miseros depascitur artus
Dira fames: aut tu pestem compesce furentem,
Aut sume ipse tibi, juges et suffice mensas.
Namque omnis consumpta penus, nec jam amplius ulli
Quadrupedes stabulis, caulisve armenta supersunt.
Ipsa etiam dapibus famulorum turba parandis
Fessa, jugo nuper solvit jumenta, bovemque,
Quam Vestae sacram pia mater alebat, edendam
Apposuit; nec equis curru succedere suetis,
Nec feli, quam parva timent animalia, parsit.
Dum Triopae res ingluviem restinguere nati
Sat fuit, illa domi latuit; sed viscera postquam

---

123 *Si Canaces vere Aeolidos &c.* Aeoli filiam se Canace ipsa vocat etiam apud Ovid. in epist. ad Macareum fratrem et amatorem suum:

Haec est Aeolidos fratri scribentis imago.

Hujus Canaces, et alterius proci, Neptuni scilicet filius Triopas erat.

129 *Aut sume ipse tibi, juges mensas &c.* Recte Spanhemius communem interpretationem reprehendit, quae ita habet; *aut eum ipse arreptum devora &c.*, βορὰν λαβών: non enim Neptunus consueverat, ut olim Saturnus, liberos devorare. Obvius et nativus hujus loci sensus hic est: aut gravem hunc a nepote morbum averte, aut inexsaturabilem hunc helluonem tibi sume, eidemque alimenta praebe: quem sensum ea quae sequuntur postulare videntur; inquit enim Triopas ovilia omnia, armenta etc. jam absumpta esse.

134 *Quam Vestae sacram &c.* Diis enim boves mares, Deabus vero vaccas immolare olim mos erat, ut ex veterum cum scriptorum tum monumentorum auctoritate Spanhemius confirmat.

136 *Nec feli, quam parva &c.* Etenim

. . . rabidi jejunia ventris
Insolitis adigunt vesci;

inquit Silius lib. II. v. 472. Quare mirum videri non debet, si, quod de pressis dira fame Saguntinis ajebat Juvenal. Satyr. XV. v. 99.

Post herbas omnes, post cuncta
animantia, quidquid
Cogebat vacui ventris furor,

comedens Erysichthon vel ipsi domesticae feli, quam mures reformidant, non pepercerit.

Insatiata omnem absumpsere in fercula censum;
Relliquias proles hesternae Regia coenae,
Heu pudor! in triviis aliena ad limina quaerit.
  Non mihi, Diva, tibi quicumque invisus, amicum
Esse velim, mecum non uno accumbere mensae
Sub tecto; ipsa ejus vel me vicinia terret.
  Vos rursum innuptae, rursum vos dicite matres:
Salve magna Ceres, mater salve optima frugum.
Ut sacrum nivei calathum per compita vectant

---

139 . . . . *absumpsere in fercula censum &c.*

Jamque fame patrias altique voragine ventris
Attenuavit opes. Ovid. Metam. lib. VIII. v. 843.

142 *Non mihi, Diva &c.* Notanda egregia poëtae licet Ethnici γνώμην, qua cavendum sibi sollicite ait ab iis, qui Cereri ob impietatem suam invisi sunt. Horatius etiam lib. III. Od. 2.

. . . *vetabo* (inquit) *qui Cereris sacrum*
Vulgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum.

Quo potiori jure Regius vates Psalm. CXXXIX. 21. 22. *Nonne*, inquit, *qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi &c.* Fuge igitur malorum societatem, gravissimumque Phocylidis praeceptum alta mente reconde:

Ἀλλὰ χρὴ κακοεργοὺς &c.
Aversare malos: quoniam discrimine nullo
Saepe luit poenam bonus et sceleratus eamdem.

145 *Vos rursum &c.* Redit ad [illegible], quas hymni initio allocutus est, quibusque hic sub finem precationis formam modumque praescribit.

147 *Ut sacrum nivei calathum &c.* Non igitur plaustro trahentibus bobus, ut tradit Meursius in lib. de Eleusin. cap. 25., calathus hic Cerealis, sed curru quadrijugo vehebatur. Nec Virg. locus Georg. lib. I. v. 163.

Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra,

de hujus calathi processu intelligendus est, sed de inventis a Cerere agriculturae instrumentis, ut e toto ejusdem contextu patet. Equi autem, quibus Canephorae in curru ad templum vehebantur, albi erant, quia ut color niger mali, ita albus laeti ominis erat, quale illud omnes optabant esse, a quo agrorum fertilitatem portendi putabant: hinc Ovid. Fast. lib. IV.

Alba decent Cererem: vestes Cerealibus albas
Sumite, nunc atri velleris usus abest.

Iidem quatuor erant, quatuor, inquit Frischlinus, anni partes designantes, de quibus continuo in seqq. versibus.

Quadrijuges, sic ver niveum aestatemque hyememque
Diva potens nobis, niveumque ferens autumnum
Adveniet, frugesque alium servabit in annum.
Ut nudis festam pedibus, nudoque per urbem
Vertice progredimur, sic nobis ire licebit
Sospitibus talos a vertice semper ad imos.

---

148 . . . . . *ver niveum &c.* intellige felix faustumque ob rationem supra allatam. Ita Tibullus lib. III. el. 3.

O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!

Nota hoc loco non minus frugiferae aestatis, quam totius anni fecunditatem acceptam Cereri retulisse veteres. Ceres enim eadem ac Tellus, ut graecum ipsius nomen satis indicat, quod adnotavimus supra ad v.3. Hinc apud Statium Theb. lib. VIII. v. 300. Sacerdos Cererem placaturus non illi offert dumtaxat *innumeros, sua munera, flores et cumulos frugum*, sed etiam *quicquid novat integer annus*.

151 *Ut nudis festam pedibus &c.* Quamquam id foret ex Pythagorae praecepto: *discalceatus sacrifica et adora*, quod refert etiam Jamblichus in ejus vita cap. 23. vix tamen, inquit Spanhemius, hujus a mulieribus in sollemnibus sacrorum pompis servati ritus vestigia alibi reperias, si publicas quasdam supplicationes ad amovendam aliquam calamitatem indictas excipias, in quibus *nudipedalia* locum habuerunt, et sollemne Cybeles festum cum planctu et lamentationibus, et laniationibus etiam corporum peractum in memoriam Deae illius ob Attidis εκτομην et αφανισμον lugentis. Cujus tamen ritus diversam in his Cereris Thesmophoriis esse debere rationem inquit Spanhemius, a quibus, ut vidimus ad v. 22. omnis aberat luctus significatio. In ea tamen ratione investiganda frustra se mihi torquere videtur vir eruditissimus; cum Callimachus ipse non obscure indicet, quare hae Cereris calathum sequentes feminae nudis pedibus nudisque capitibus procederent; ut hoc ritu nimirum monerent, homines beneficio Cereris et pedes et capita etiam sine tegumentis salva habere; et amictu potius quam victu carere posse; inquit enim continuo

. . . *sic nobis ire licebit*
Sospitibus talos a vertice semper ad imos:

quam hujusce ritus rationem a poëta ipso allatam vidit, adnotavitque Frischlinus.

Ibid. . . . . . *nudoque per urbem vertice &c.* αναμπυκες, hoc est sine vittis: ex quo poëtae loco clarius explicantur ea quae attigimus supra ad v. 4. feminas nimirum, quae Cerealem hanc pompam faustis acclamationibus prosequebantur, quaeque ex editiore loco, aut jejunae calathum spectare vetabantur, procedere per urbem solitas fuisse *diffusis per colla capillis*: tum enim illic, cum hic de his dumtaxat feminis sermo est, non de Cereris sacerdotibus publica auctoritate de-

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

Utque canistra auro castae de more puellae
Plena ferunt, ingens nobis sic suppetet auri
Copia. quae Cereris mulier non dedita sacris,
Dum calathum sequitur Prytaneum sistat ad urbis;
Quae sacris imbuta, Deam comitetur ad ipsam,
Sexdenis modo non aetas antiquior annis:
Nam quae debilior senio est, uterove laborat
Lucinamque vocat, sollemnia sacra sequatur
Quo vires et genua sinunt. non secius illi
Cuncta Ceres dabit, ac sacram subeuntibus aedem.

---

lectis, qualis erat Nicippe, quae vittis comas religare consueverant, nec de Virginibus *Canephoris* seu canistra ferentibus, de quibus mox.

154 *Utque canistra auro &c.* De *Canephoris* virginibus hic sermo est, quae canistra floribus et spicis referta gestabant, non de mulieribus *Cistophoris*, quae cistas, in quibus τα μυστικα Cereris. Harum discrimen attigimus supra ad v. 1. Plura vide si vacat apud Spanhemium ad hunc locum, et Meursium in Eleusinis sacris cap. 25. Hae autem Canephorae, quae ex nobilissimis familiis eligebantur, quemadmodum splendido aureoque cultu ornatae procedebant, ut liquet ex Avib. Aristoph. ejusque enarratoribus, ita etiam auro plena, seu aurea canistra ferebant ad opulentiam significandam, quae ex Cerere et agricultura proficiscitur, ut continuo addit poëta: *ingens nobis sic suppetat auri Copia.*

156 . . . . *quae Cereris mulier &c.* Locus sane difficilis, in eoque explicando in diversa abeunt interpretes. Ego iis adhaesi qui ita exponunt, ut sensus sit: Quae feminae nondum sacris Cereris initiatae sunt, eae non ultra Prytaneum urbis pompam comitentur, quae vero initiatae jam sunt longius Deam prosequantur, nempe ad ejus usque templum, modo sexaginta annis minores sint: nam si provectiores fuerint, aut partui proximae, eo usque procedant, quo se ferre per vires licuerit; quibus nihilominus eamdem Ceres dabit mercedem ac iis, quae ad templum usque pervenerunt. De Prytaneo, loco nimirum, non Athenis dumtaxat, ubi in eo Prytanes, hoc est reipublicae administratores, judicia exercebant, et viri bene de republica meriti publicis sumptibus alebantur, sed in aliis etiam Graeciae civitatibus in medio urbis sito, ubi Vestae simulacrum ejusque cultus, vide Spanhemium ad hunc locum, ejusque de Vesta et Prytanibus diatribam. Sequitur epilogus hymni precatione constans, qua Cererem invocat poëta, ut urbem in pace et felicitate gubernet, omniumque rerum ubertatem subministret.

Salve magna Ceres: per te concordia cives
Sospitet, et laetis firmet successibus urbem.
Per te maturas tellus ferat annua fruges;
Non pastu tauri careant, non horrea spicis.
Da pacem agricolis; curvo ut qui vomere terram
Molitur, gravidas idem succidat aristas.
Huc adsis, facilisque tuum, Dea, respice vatem.

SANTIN OTTAVIA
RESTAURO DEL LIBRO
1972

Digitized by Google